



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

M. ANTONII  
MAIORAGII  
DE SENATU ROMANO  
LIBELLVS.



MEDIOLANI,  
*Ex Typographia Francisci Moschenij,*  
M. D. LXI.

*Franciscus Moschenius studiosis antiquitatis.*  
**P** R I M U S Comes amicus meus lucubrationem  
 ad me attulit Maioragij propinqui sui, Libellum scilicet  
 de Senatu Romano. uir sanè bonus & doctus cupit pro-  
 desse studiosis antiquitatis, & satisfacere officio propin-  
 quitatis; post mortem Maioragij diu iacuit libellus in  
 tenebris, qui nunc opera Primi prodit in lucem, conspe-  
 ctumq; studiosorum typis excusus à nobis libenter, & di-  
 ligenter, quòd multa contineat scitu dignissima, & quòd  
 præferat obseruantiam in Senatum grata memoria uel  
 eorum qui decesserunt, uel eorum qui adhuc pulcherrimè  
 sedent in ordine amplissimo, qui semper floruit omni ge-  
 nere laudis. *V*alete.

ERRATA SIC CORRIGITO.

siuentes, lege uiuentes, pag. 1. lin. 21. numerum le. munerum, pag. 13. li. 5. trahulit le. trāstū-  
 lit, pag. 15. li. 1. apta le. aptam, pag. 11. li. 12. quinquasimo le. quinquagesimo, pag. 21. li. 14. com-  
 plerentur le. compellentur, pag. 22. li. 5. antiquos le. antiquas, pag. 23. li. 8. uix le. uir, pag.  
 25. li. 9. omnis le. ominis, pag. 39. li. 8. translatio le. translatio, pag. 45. li. 21. angustissima  
 le. augustissima, pag. 47. li. 23. siue gente le. sine gente, pag. 55. li. 4. atiam le. etiam, pag. 56.  
 li. 15. uocationes le. uacationes, pag. 59. li. 17. diligeret le. deligeret, pag. 60. li. 2. attestatu le.  
 attestatur, pag. 62. li. 1. sedat le. cedat, pag. 64. li. 12. reiscabant le. reiciebant, pag. 60. li. 32  
 frequens le. frequentes, pag. 65. li. 4. difertina le. difertum, pag. 82. li. 9. Agamemnon lege  
 Agamemnonem, pag. 83. li. 1. maioresne le. maioresne, pag. 83. li. 14. supra le. siqua, pag. 88.  
 li. 20. munerus le. numerus, pag. 94. li. 5. mo. terpretatur le. modum interpretatur, p. 96.  
 li. 7. qui in plebeius le. qui plebeius, pag. 97. li. 21. sensor le. cenfor, pag. 98. li. 15. examina-  
 tus le. exanimatus, pag. 101. li. 9. administrabat le. administrat, pag. 102. li. 10.

IVAN OIGEM

SPINOZA DE REBUS IN SENATU

LIBELLUS

*A M P L I S S I M O E T I N .*

*tegerrimo Senatus Mediolanensi Præsidi, Paulo*

*Origionio, cæterisq; sapientissimis Patribus*

*conscriptis, M. Antonius Maio*

*ragius. S. P. D.*



*M* Multis alijs in rebus Deo Opt.

*M*ax. ciuitatem banc nostram Mediola-

*nensem esse gratissimam & carissimam in-*

*telligere possumus, amplissime Præses,*

*& clarissimi Patres Con. tum in hac una*

*tam aperte ut oculis ipsis cernere uideamur, quòd nobis &*

*optimum Principem Ferrandum Gonzagam iampridem*

*tradiderit, & te Senatus nostri Princeps integerrime Pau-*

*le Origionio, uosq; prudentissimi, ac sapientissimi Patres sum-*

*mæ Reip. nostræ præesse uoluerit: ut, et uos omnia iustissime*

*gubernando, & ille clementissime ciuibus imperando, totam*

*Rêp. in tranquillissimo statu conseruetis. Quod enim præsta-*

*bilius aut pulchrius ab immortali Deo munus alicui ciuitati*

*præstari potest, quàm & clementissimus princeps, et iustissimus*

*Senatus? quid cõtra magis horribile, aut pertimescendum,*

*quàm Tyrannicus dominatus, & publicum sibi, Tyrannoq;*

*subseruiens consilium? Terribiles omnino sunt illæ uatis He-*

*bræi minæ, quibus populo suo Iudæo prædicit futurum, ut*

*Deus auferat ab eo senem principem, et cõsiliarium sapientem. Et Esaiæ ca. 3.*

*dabo (inquit) pueros principes eorum, et effœminati domina-*

*A 2 buntur*

bantur eis. *At huic nostræ civitati, quæ re vera & reli-  
giosissima est, & Christianæ legis amantissima, & ab om-  
ni pravitatis, atq; hæreseos errore purissima, rerum omnium  
conditor, & gubernator Deus, & æquissimos rectores, &  
optimum conservatorem infinita sua bonitate, providentiâq;  
largitus est: ut omnis Reip. nostræ dignitas, omnium civium  
salus, vita, libertas, bona, fortunæ, domicilia, uestra sapientiæ  
Patres, fidei, potestatiq; Principis commissa diuinius, salva,  
& incolumia quâ diutissimè conserventur. Hunc ego nostræ  
civitatis tam florentem, & tranquillum statum complures iã  
annos diligenter intuius, incredibili cum iucunditate cæpi ve-  
tera monumenta tum ex memoria studiorum recentium meoꝝ  
rum, tum ex libris repetere, non alia de causa, nisi ut atten-  
tissima cura observarem uestigia quædam Romæ veteris es-  
se in civitate nostrâ, senatum scilicet in quo sapientiam, æqui-  
tatem, iustitiam, continentiam sanè parem reperire possem,  
at religionem & pietatem multò maiorem, quoniam Roma-  
ni illi veritatis luce carebant, neq; verum Deum agnoscebãt,  
falsa inducti religione plurimos in errores, & ineptias fre-  
quentissimè labebantur; quas hoc loco referre nihil prorsus  
attinet. At nobis Patres Con. primum adest ipsa religio-  
nis Christianæ purissima veritas, quam omni reuerentia piè  
sanctæq; colitis, ut non ad ambitionem, & gloriã, quod ple-  
riq; Romani solebant, omnia referatis, sed ad eam spem,  
quam firmissimum habetis, omnibus, qui patriam suam con-  
seruaue*

Seruauerint, adiuerint, auxerint, certum esse in caelo, ac  
 definitum locum, ubi beati æuo sempiterno perfruantur, de iu-  
 de iuris ciuilibus, & pontificij omnes estis prudentissimi, quod  
 totum ad æquitatem, & mansuetudinem Christianam tradu-  
 citis: ut non magis turis, quam diuinæ iustitiæ consulti esse  
 uideamini. tum ita seuerè, continenter, integrè uitam agitis,  
 ut tantum nitæ exemplo ciuibus uestris prodesse studeatis,  
 quantum Remp. bene gerendo quotidie prodestis. Quòd si  
 mihi sine suspitione assentationis culus uos estis planè hostes  
 dicere aliquid liberius liceret, qui esset iste campus per què  
 nos laudando libentissime excurrerem? auderem ego te Pau-  
 le Origoni cum quo nis illius Romani Senatus Principe, ni-  
 gilitia, consilio, integritate conferre sine inuidia. Quis  
 in Rep. Romana Frãncisco Tabernæ magno Caroli V.  
 Imperatoris (ut appellant) Cancellario par unquam fuit,  
 aut esse potuit? Quis Francisci Crassi Magistratus præ-  
 fidis prudentiam, fidem, industriam ullo tempore unquam  
 adæquauit? Quem celeritate mentis, facultate iudicandi Ba-  
 ptistæ Schitto parem fuisse dicemus? Quis innocentiæ tempe-  
 rantia humanitate Vincentio Falcutio similis inuentus est?  
 Quid de Ioanne Vararonto. Alexandro Vicecomite,  
 Petro Mariano, Baptista Rainoldo, Paulo Bercio, Ba-  
 ptista Pectio, Danesio Philedonio, Antonio Caimo cõ-  
 memorem? nonne tales sunt omnes, ut cum Valerijs, Iu-  
 nijs, Cæcilijs, Scipionibus, Claudijs, Paulijs, Lælijs, Fla-  
 minijs,

A 3 minijs,

minijs , cæterisq; Romanorum præstantissimis senatoribus  
meritissimo sint cõferendi? Iã uero de sacris Antistitibus,  
qui in grauisimo , sanctissimoq; senatu nostro dignissimum  
locum obtinent , nihil est quod dubitemus , quin & religio-  
ne , & fide , & sanctitate multo sint Romanis superiores.  
Itaque nefas esse censerem Romanorum aliquem aut cum  
Archiepiscopo nostro Mediolanensi Ioan. Angelo  
Arcimboldio , qui iam plurimos annos , etiam antequam  
in Archiepiscopali dignitate collocatus esset , primum post  
Principem Senatus in curia locum tenuit , aut cum Ioanne  
Simoneta Laudis Pompeiæ Episcopo comparare , aut cum  
Philippo Castellhoneo summæ uenerationis Antistite , iu-  
risq; consulto peritissimo , aut denique cum Francisco Casa-  
to Præsule religiosissimo , qui omnes sanctissimi sacrorum  
Antistites in Senatu nostro cum quadam incredibili ma-  
iestate consistent . Quamuis enim etiam in Romano Senatu  
quidam essent Antistites sacrorum , & Pontifices , qui  
summam obtinerent dignitatem , tamen quia falsam religio-  
nem colebant , nullo modo sunt cum nostris Antistitibus  
conferendi . Quid ? Equites nostri qui locum habent in se-  
natu , nonne uel ea de causa Romanis equitibus anteponendi  
sunt , quòd senatoriam dignitatem obtinent , quam Romani  
equites non habebant ? uel quòd ab Imperatore propter  
egregias & singulares uirtutes suas hoc honore donantur ,  
quod non nisi summis & clarissimis uiris accidere potest ?  
Hæc

Hæc, atq; huius generis alia plurima cum ipse mecum diu cogitasset, & uerissima esse cognouisset, putauit rem non iniucundam, neq; inutilem me uobis Patres Con. facturum fuisse, si, cum per amœna ueterum scriptorum uiridaria flosculos undiq; carpens, atque delibans euagarer, ex auctoribus tum Latinis, tum Græcis, quicquid de Senatu Romano dignum memoria comperissem, omni cura, atq; diligentia collegissem, & adhibitis aliquibus oratorijs ornamentis, ad certum ordinem capitum redegissem, uobisq; pro mea perpetua in amplissimum istum ordinem obseruatiâ concinne formatum manusculum obtulissem, quod cum non inuita penitus Minerua, neque Musis improbantibus effecisse mihi uidear, hoc tempore uobis illud offerre, dedicare, & sub amplissimi, florentissimiq; nominis uestri tutela & clientela apparere uolui. non quod tam leuiculum munus omnium grauisima auctoritate uestra dignum existimem, quæ non nisi animi recreandi gratia, cum à maximis occupationibus respirare conceditur, potest ad res tam humiles atq; demissas tandem aliquando respicere, sed primo, ut animum meum ad laudem, & dignitatem uestram, quæ iam usq; adeo longè lateq; diffusa est, ut augeri nullo modo possit, prædicandam, & celebrandam quasi lætitiâ quadâ exultantem intelligatis. uobis enim omnia me debere, quæ possum, atq; etiâ quæ nõ possum, libentissime fateor, & agnosco: deinde ut antiquorum morem & consuetudinem intuentes, quo tempore uobis à publicis nego



clis negotijs animum relaxare licuerit, uehementius in sinu  
uestro gaudeatis, cum uos tanto superiores ueteribus illis  
omnium sermone celebratis patribus Romanis esse conspi-  
ciatis. Accipe igitur excellentissime Senatus Princeps  
Paule Origoni, patriæ nostræ maximum decus, & sin-  
gulare ornamentum, accipite sanctissimi Patres Con. no-  
stræ ciuitatis florentissima lumina benignis (ut soletis) uultu-  
bus, quod ingenij mei tenuitas animo reuerenti uobis offert.  
neq; ad opusculi paruitatem, sed ad propensa uoluntatis er-  
ga uestri ordinis sempiternam gloriam meæ magnitudinem  
quæso respicite. nam quo animo uobis hoc Leuidensæ mu-  
nusculum offero, eodem etiam, si mihi facultas concedere-  
tur, longe maiora, & quidem libentius, atque promptius  
offerrem. illud sanè nos certum atq; exploratum habere ue-  
lim, me omnino pari ueneratione sapientissimum istum ordi-  
nem uestrum prosequi, atq; illos, qui iam in cælo mortali  
conditione liberati, beatissimam Deorum uitam sunt adepti.  
Valete.

De Origine

## De origine Senatus Ro-

mani.

CAP. I.



*MAGNUM ingenium Romuli urbis Romanae parentis, & conditoris, magnaque sapientia plurimis quidem in rebus, & ijs maximis atque praestantissimis, tum mentis acumen prope diuinum apparuit: sed in eo praecipue summa, atque incredibilis eius uirtus emicuit, quod cum urbem eam felicissimis auspicijs condidisset, quae postea longissimo tempore penes totius orbis terrarum domina atque regina fuit, & hac etiam aetate Christianae religionis ac sanctitatis iure optimo principatum & domicilium obtinet, parum putauit esse, finitimos populos debellare, multasque nationes in potestatem atque dominationem suam redigere, nisi eas etiam & stabili imperio cum securitate regeret, & sapienti consilio in fide contineret. Quare posteaquam urbe condita uires ad propulsandos hostes, & gerenda bella satis iam amplas acquisiuisse sibi uisus est, delectu militum, ac sociorum omnium suorum habito, quos & longo rerum usu, & uita integritate, & praestanti sapientia caeteris antecellere cognouit, ex eorum numero centum Senatores elegit, quibus praeter egregiam & singularem uirtutem essent etiam iuuenes filij, medio-*

T. Liuius lib. 1.

Dionys. lib. 1.

B cres

eres opes, & spectata nobilitas. hos belli vacationem habere, domi sedulo esse, Deis immortalibus sacrificia peragere, magistratus gerere, ius dicere, publica negotia administrare uoluit. centum uero tantum ad summum populi Romani consilium Senatores instituit, uel quoddam numerum ad ciuitatis administrationem, & ad Reip. gubernacula tenenda sufficere existimauit, uel quod eo tempore centum soli sunt inuenti, qui tanta prudentia rationeque praecellerent, ut illud onus gubernandae ciuitatis humeris suis commodè sustinere posse uiderentur. Seniores autem potissimum & prouectioris tam aetatis homines ad haec officia delegit, uel ad Reip. Lacedaemontorum exemplum, quae tam eo tempore maxime florebat, apud quos hi, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes, in quibus summum inesse consilium existimant, uel quod ipse per se, ut erat uir acutissimus, & alta quadam mente praeditus, hoc etiam praeter caetera cognouit, quod ille sapientis Caldaeus multo ante praedixerat, in senibus praecipuam esse sapientiam, & in multo tempore prudentiam. Res enim magnae (sicut ait orator) consilio, auctoritate, sententia geruntur, quibus senectus augeri solet. hac de causa semper in ciuitate Romana (sicut Callistratus iurisconsultus auctor est) senectus ipsa uenerabilis fuit. Maiores enim (inquit) nostri penè

T. Lilius libro. 1.

Cicero, de senectute.

Iob. ca. 13.

De Senectute.

I. Sæper. ff. de iur. iun.

*stri penè eundem honorem senibus, quem magistratibus*  
*tribuebant. quin etiam (ut Valerius scribit) iuuentus ita* Lib. 2. de inst. antiq.  
*cumulatum & circumspectum honorem senectuti redde-*  
*bat, tanquam maiores natu communes essent omnium ado-*  
*lescentium patres. quæ res non tantum Romæ, sed in*  
*multis etiam alijs bene constitutis urbibus obseruari dili-*  
*gentissime solebat. unde Lysander Lacedæmonius sene-*  
*ctutis honestissimum esse domicilium Lacedæmoniorum* Cic. de Senec.  
*urbem prædicabat, nusquã enim tantum tribuebatur æta-*  
*ti, nusquã erat senectus honoratior. Philostratus auctor* Lib. 5. de vita Apol.  
*est, olim apud Gades templũ senectuti tanquã Deæ fuisse*  
*dedicatum, quin Hebræorum ille celeberrimus ac nobi-*  
*lissimus Legulator Moses suis in legibus etiam illud in-* Leuiti. ca. 19.  
*stituit, ut senioribus iuniores assurgerent, & eos tanquã*  
*parentes honorarent. His igitur de causis impulsus uir*  
*fortissimus & sapientissimus Romulus ordinem amplissi-*  
*mo ex senioribus Reip. gubernandæ gratia constituit,*  
*& propter reuerentiam quæ illi ætati tunc habebatur,*  
*patres appellauit, quod Ouidius in fastis ita cecinit.* Fast. lib. 5.

*Magna fuit capitis quondam reuerentia cani.*

*Inq; suo precio ruga senilis erat.*

*Martis opus iuuenes animosaq; bella gerebant,*

*Et pro Dijs aderant in statione suis,*

*Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,*

B 2 Consilio

*Consilio patriæ sæpe ferebat opem,  
 Nec nisi post annos p̄tuit tunc curia seros,  
 Nomen & ætatis mite Senatus habet,  
 Iura dabat populo senior, finitaq; certis  
 Legibus est ætas, unde petatur honor,  
 Verba quis auderet coram sene digna rubore  
 Dicere? censuram longa senecta dabat.*

*Romulus hoc uidit, selectaq; corpora patres*

*Dixit, ad hos urbis summa relata nouæ est,*

Dionysius  
lib. 2.

*Fuit autem à Romulo Senatus hoc modo constitutus,  
 Primum ipsemet unum omnium optimum, uirum ex omni  
 numero, cui maxime confidebat, & cuius integritatem  
 ac sapientiam plane perspectam & cognitam habebat,  
 sibi uicarium elegit, qui cum ipse foris bella gereret, ur-  
 bana domi negocia curaret, & omnibus, qui in urbe re-  
 manerent, præesset, atq; imperaret. quem postea Sena-  
 tus Principem nominauit, deinde cū uniuersum populum  
 tres in partes distribuisset, quæ ab ipsa diuisione tribus  
 appellatæ sunt, & unamquand; tribum in decem curias  
 iterum diuisisset, ex singulis tribubus ternos primarios  
 uiros, qui & matura essent ætate, & filios haberent, &  
 cæteris nobilitate atq; sapientia præstarent, seligendos  
 curauit, atq; hos illi principi, quem antea delegerat, ex  
 tribubus electos associauit, ut omnes iam denarium nume-  
 rum*

Tribus

rum

rum efficerent. postea uerò iussit, ut singulae curiae ter-  
 nos ex senioribus, quibus essent filij suffragijs omnium  
 approbatos eligerent, & eorū ad se nomina deferrent,  
 quod ubi maxima cum diligentia factum fuisset, centena-  
 rius patrum numerus expletus, atq; perfectus est. Hac  
 ratione Senatu constituto Romulus inferioris ordinis ho-  
 mines, & plebeios centum illis patribus commendauit, ut  
 eorum curam ac tutelam, non secus ac parentes filiorum  
 solent, humaniter, & benigne susciperent. ipsis uerò ple-  
 beis concessit, ut ex patribus, quem quisq; uellet, sibi de-  
 fensorem adoptaret, qui causas suas cognosceret, & se  
 absentem tueretur, ac defenderet, ne fortasse temtores  
 homines litibus & controuersijs ab opere suo rustico dis-  
 traherētur. quae de causa defensores postea patroni sunt  
 à patribus nōminati, & defensiones patrocinia dicta.  
 Tantam demceps auctoritatem ordo Senatorius obti-  
 nuit, ut neq; Romulus ipse, neque ceteri, qui Romulum  
 subsecuti sunt, Romanorum Reges quicquam, quod pau-  
 lo maioris esse momenti uideretur, sine Senatus consilio  
 gererent. Mortuo namq; Romulo, cum nullus esset legi-  
 timus regni successor, propterea quod nullum filium Ro-  
 mulus reliquerat, Senatores ipsi Reip. gubernationem  
 ita inter se partiti sunt: cum enim centum essent, (at su-  
 pra demonstrauimus) decem fecere decurias, ut per quin-

Senatores  
Centum

T. Liuius lib.  
bro. 1.

B 3 que dicitur

que dies decem imperitarent, & eorum unus cum insignibus imperij, & lictoribus præcederet, quinque uero dierum spacio finiretur imperium, atque ita per omnes Senatores quasi in orbem circumiret. annum (inquit Lilius) interuallum regni fuit, id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum. Quo quidem tempore clementer & iuste ciuitatem administrantes, maximam apud populum Romanum gratiam & beneuolentiam acquisuerunt, atque eo magis, quod amplam & liberam populo plebique potestatem fecerunt, ut sibi quem idoneum existimarent sine ullo timore aut dubitatione regem cooperarent, publicoque decreto constituerunt, ut quem populus regem iussisset, is demum ratus ac firmus haberetur, si patres auctores facti fuissent, quod quidem summæ auctoritatis initium ita fixum ac stabile deinceps fuit, ut quandiu Romana Respublica floruit in Legibus magistratibusque rogandis ac demandandis perpetuo diligentissime fuerit obseruatum. quauis enim populus in quo plenissima potestas, & summa imperij maiestas esse dicebatur, aliquid fieri iussisset, id tamen nequaquam prius ratum habebatur, quam grauissima Senatus auctoritas intercessisset. postea sub Numa Pompilio, qui Romulo successit in regnum, summam Senatus dignitatem suam obtinuit. Rex enim omnium religiosissimus, nihil penitus inconsulto Senatu, quem

publici

publici consilij dominum esse intelligebat, & uolebat, sibi agendum unquam censuit. Tullus deinde Hostilius cum Albanos in potestatem suã deuictos redegressus, & urbem ipsam Albanam funditus euertisset, Principes Albanorum (ut auctor est Lilius) in patres legit, ut ea quoque pars Reip. cresceret, Tullios igitur, Seruilios, Quintios, Gegamios, Curtios, clælios patribus adiunxit, templumq; ordini ab se aucto curiam fecit, quæ Hostilia fuit appellata. Mansit hic numerus Senatorum, ut uno tempore centum non amplius essent, usq; ad Tarquinij Prisci dominationem. nã qui ex Albanis ab Hostilio fuerunt additi, tantum in demortuorum locum succedebant. Tarquinius autem Priscus cum regnum primo ambitiose quaesuisset, deinde ingenti comitate benignitateq; confirmasset, augendæ Reip. cupidissimus alios ceterum Senatores constituit, qui deinde Minorum gentium patres uocati fuerunt, quæ factio haud dubia regis fuit, cuius beneficio in curiam uenerat. Ex eo tempore ducenti fuerunt Senatores, qui deinde sub Tarquinto Superbo grauitate afflicti, uariasq; passi calamitates, ob regis crudelitatem & superbiam, pleriq; non tantum auctoritatem, sed etiam uitam amisserunt: donec tandem prudentissimo constantissimoq; L. Iunij Bruti consilio regibus exactis ordo Senatorius nõ tantum pristina dignitate recuperauit, sed etiam

Libro. 1.

Senatores  
cc.



sed etiam longe maiorem auctoritatem consequutus est. expulso enim uirtute Bruti Tarquinio Superbo cognatisq; illius omnibus populum Romanum nouæ libertatis auidum iureiurando Brutus adegit neminem Romæ passuros regnare, deinde quo plus uirum in Senatu etiam ordinis frequentia faceret, cædibus regis diminutum patrum numerum primoribus equestri gradus electis ad trecentorum summam expleuit. factumq; inde tradunt ut in Senatu uocarentur, qui patres, quiq; conscripti essent, conscriptos enim novos Senatores appellabant. id mirum dictu quantum profuerit ad concordiam ciuitatis iungendosq; patribus plebis animos. Hæc igitur origo Senatus Romani fuit, hoc incrementum, hæc perfectio, ut prima centum à Romulo constituti fuerint, qui Maiorum gentium patres postea uocarentur, deinde centum alios Tarquinius Priscus adunxerit, quos Minoram gentium patres appellarunt, postremo L. Brutus uel eius collega Valerius cognomento Publicola, sicuti Plutarchus existimat, ita numerum ampliari, ut trecenti deinceps in curia considerent. Sed quos Brutus elegit pleriq; conscriptos uocarunt, qui tamen etiam Minorum gentium

Lib. II. patres dicti fuerunt. quod his uerbis Cor. Tacitus indicat; paucis tam reliquarum familiarum, quas Romulus Maiorum, & L. Brutus Minorum gentiam appella-  
 uerant

uerant. cum autem Plutarchus contra T. Latiij, Dionysij Halicarnasiet, Cor. Taciti, multorumq; aliorum sententiam, non L. Bruto laudem hanc ampliatu ordinis Senatorij, sed P. Valerio tribuerit; haud sane facile explicuerim, nisi fortasse Valerium, quem ornandum susceperat, etiam collegæ gloriæ uoluit honestare.

## De Nomine Senatus.

### CAP. II.

**N**ominis autem ratio plana est atq; manifesta: neq; enim hac in re Bartolo: iureconsultorum quasi Coryphæo credendum est, qui Senatum ab assentiendo nimis absurde censuit appellatum, cum apertissime Cicero de Senectute scribat, summum consilium à Senibus usque à principio cōditæ urbis Senatum fuisse nominatum, quomā admodum (inquit) apud Lacedæmonios, qui amplissimū magistratum gerunt, ut sunt; sic etiam appellantur senes. Erat enim olim Lacedæmonie consilium publicum ex tri-  
ginta uiris constitutum, quæ Gerusia dicebatur, quod in eo senes tantum confederent. nam apud eos geron senem significat, ad id consilium illi tantum admitti solebāt, qui auctoritate, fide, religione, cæteris omnibus antestaret, & annum iam sexagesimum excessissent. quod Demosthe-  
nis interpres Vlpianus ait, & Aristoteles in libris

Artif. Polit. 1.

C de Rep.

de Rep. tradit hoc summæ virtutis apud Lacedæmonios fuisse præmium. Plutarchus in *Lycurgo* scribit, hoc ex omnibus humanis certaminibus maximum apud Lacedæmontos & maximè expetendum fuisse, quoniam seniores inter se summis viribus pro ea dignitate contendebāt, & qui omnium optimus & continentissimus fuisset à populo iudicatus, is quasi totius vitæ suæ palmam & maximæ virtutis insignia cōsecutus, in demortui locum succedebat. Eodem ferè modo *Athenis* *Areopagitarum* Senatus tantum ex ijs constituebatur, qui per omnes dignitatis gradus in *Atheniensium* Rep. castè atq; integrè se gerètes ad senilem ætatem sine reprehensione peruenissent. Plutarchus igitur in *Romulo* cum *Cicerone* sentit, qui senatores ab ætate senili denominatos fuisse scribit, idem primo libro *T. Livi*us, & in secundo de *Antiquitatibus Romanorum* *Dionysius Halicarnasæus*, & *Eutropius*, cuius etiam verba libuit adscribere, sic enim ait; ubi de *Romulo* verba facit: centum ex semoribus legit, quorum consilio omnia egit, quos Senatores propter senectutem, patres ob similitudinem curæ nominavit. huc accedit *Ovidij* testimonium qui *Fastorum* libro quinto sic ait;

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,  
Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Veteres

Veteres enim Latini, sicuti scribit Dionysius, optimos Lib. 2.  
 quosque viros appellare senes consueverant, quod pruden-  
 tia senectutis esse propria uideatur. Patres autem tribus  
 de causis dictos fuisse reperio, primo propter honorem  
 ac dignitatem qua reliquis antecellebant. hoc enim nomē  
 patris olim honoris ac reuerentiæ fuisse declarant nō tan-  
 tum summi poetæ Homerus & Virgilius, apud quos  
 frequentissimē uiri præstantes, & Heroes, & ipsi etiā  
 Dei patres appellantur, sed etiam Oratores, Histori-  
 ci, & Iurisconsulti. Sic Alexander Seuerus Impera L. ex diui. C.  
 tor Ulpianū iuriscōsultum honoris & amplitudinīs gra locat.  
 tia patrem suum appellat. & magnus ille nostræ religio-  
 nis præco Ioannes Christi legatus patres eos uocat, ad Epif. 2.  
 quos scribit, non alia de causa, sicuti Hieronymus Dal. In Esaiam  
 mata censet, nisi ut eos ueneretur. testatur hoc etiam Pur cap. 3.  
 puratus iuriscōsultus, & locus est apertissimus in A. u. L. ult. C. de  
 tenticis, ubi hoc idem declaratur. Iam uero notissima et edende...  
 uulgatissima est historia de M. Tullio Cicerone, qui cū De Litigio,  
 à conuratione Catilinæ Romanā Remp. liberasset, ex  
 senatus consulto & publico decreto pater patriæ primus  
 omnium fuit appellatus, de qua re ita Iuuenalis;  
 Romæ patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Satyra. 8.  
 Huc alluisse uidetur etiam Horatius tertio Carminum  
 cum ita inquit, si quæret pater urbium.

C 2 Subscribi

*Subscribi statuis, in domitam audeat  
Refrenare licentiam.*

*Secundo patres dicti sunt eò, quod uuentes filios haberent. primis enim illis temporibus, etiam si quis uir fuisset egregius, & probitate præstans, tamen nisi filios haberet, Senator esse non poterat. uolebant enim Romani ueteres huic etiam rei ciues suos operam dare, ut filios quamplurimos generarent, & eos honestissime educarent. unde Lex erat in duodecim tabulis, quæ cælibes esse prohiberet. atq; hoc erat censorum officium ut ij punirentur, qui uxorem ducere, & filios procreare nolissent.*

Li. 2. ca. 4.

Inst. tit. de  
excus. aut.

*Camillus & Posthumus censes, ut Valerius scribit, æra pænæ nomine eos, qui ad senectutem cælibes peruenerant, in ærarium deferre iusserunt. qui uero ciuis Romanus tres filios masculos uuentes haberet, onerum immunitate donabatur. quod Ius trium liberum, uel trium uatorum uulgo dicebatur. hoc autem ius trium liberum Imperatores nonnunquam etiã non habentibus tres filios indulgebant. Quare Martialis ad Domitiam scribens hoc ab ea ius ita postulat;*

Lib. 2.

*Quod fortuna uetat fieri, permitte uideri.  
Natorum genitor credat ut esse trium.*

*Aristoteles libro de Rep. secundo docet hanc legem etiam apud Lacedæmonios fuisse; sic enim scribit; cum*

*enim*

enim cuperet is, qui leges Spartanis dedit, quamplurimos Spartanos esse ciues, adhortatus est, ut quam maximum liberorum numerum procrearent, est enim apud eos lex, eum, qui tres filios suscepisset, præsidij, & stationis, qui quatuor omnium numerum uacationem habere. Tertio uocati sunt patres, ut Dionysius scribit, eò, quod essent Lib. 2: nobiles, & à claris orti parentibus, quod ad imitationem Athenensium à Romulo fuisse factum idem Dionysius existimat. nam apud Athenenses, qui cæteris nobilitate præstarent Eupatridæ uocabantur, quasi boni patres, uel potius à bonis patribus geniti, quod etiam Plutarchus in Problematibus affirmat. hac ratione patricij postea dicti sunt omnes, qui à patribus & Senatoribus illis primis originem duxerunt, quod patrem ciere, hoc est cum honore appellare possent. sic enim apud T. Lium P. Decius Mus loquitur; An unquam fando audiuistis Lib. 10. patricios primò esse factos, non de cælo demissos? sed qui patrem ciere, aumq; possent, id est nihil aliud quam ingenuos? consulem iam patrem ciere possum, aumq; iam poterit filius meus. Nobiles igitur Romani, qui ab antiquis Senatoribus essent oriundi patricij dicebantur, etiã si nondum in Senatum cooptati fuissent. quare Suetonius in Augusto sic ait; quanquam patricius, nondum Senator. Senatores enim, ut ait L. Iulianus, accipiendum

L. Nupte. ff.  
de Senat.

est eos esse, qui à patricijs & consularibus usq; ad omnes illustres uiros descendunt, quia & hi soli in Senatu dicere sententiam possunt. Sed illud aduertendum est, non omnes Senatores, aut Senatorum filios in numero patriciorũ fuisse. nisi qui, uel ab illis antiquis senatoribus, quos primò Romulus, deinde Tarquinius Priscus, tum L. Brutus elegit, originem ducebant, uel qui à Principibus & Imperatoribus propter egregia merita, aut propter gratiam in patriciorum numerum traducti fuissent, quod aperte Cor. Tacitus de Claudio Imperatore uerba faciens ita ostendit. Isdem diebus in numerum patriciorum ascium Caesar uetustissimum quemq; è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Sed duo fuisse patriciorum genera constat. qui enim ab illis patribus, quos primò Romulus instituit, orti erant, Patricij maiorum gentium uocabatur, & longè cæteris nobiliores esse censebatur, qui uerò nati erant ab ijs senatoribus quos Tarquinius Priscus, & L. Brutus elegerant, minorum gentium patricij uocati sunt, & minus nobiles existimabantur, Cicero in Epistolis ad Papyrium scribens ita inquit,

Lib.ii.

Sed tamen mi Pate, qui tibi uenit in mentem negare Papyrium quenquam unquam nisi plebeium fuisse? fuerunt enim patricij minorum gentium, quorum Princeps L. Papyrius Mugillanus. Primo Tusculanarum Quæ-

Lib.9.

stionum

stionum libro Cicero hæc nomina etiam ad Deos trastru-  
 lit: maiorum enim gentium Deos uocat, qui semper cæ-  
 lestes habiti sunt, & selecti Dei nuncupati. Sicuti M.  
 Varro contra, minorum gentium Deos appellat, qui  
 adscripti sunt, & ex hominibus in Deorum numerum  
 allekti. Cleantem autem in Lucullo Cicero maiorū gen-  
 tium Stoicum uocat; quasi primarium, & Stoicorum no-  
 bilissimum. Quatuor porro genera senatorum fuisse cō-  
perimus, patricios, conscriptos, allektos, & pedarios.  
 Patricij uocabantur omnes uel maiorum, uel minorū gen-  
 tium, qui post L. Bruti institutionem à senatoribus patri-  
 cij generis oriebantur. Conscripti dicti sunt illi, qui Cō-  
sulum, censorūue decretis in senatu essent scriptis nota-  
ti, quæ appellatio principium habuit ab ipso Iunio Bru-  
to, qui cum senatorum numerum augere statuit, non solum  
patricios elegit, sed etiam ex equestri ordine quos uirtute  
ac nobilitate reliquis præstare intellexit, atq; eos conscri-  
ptos patres, quasi una cum patricijs in senatorum albo  
scriptos nominauit, ex quo tempore patrum conscripto-  
rum appellatio, sicut antea diximus, locum habere cœ-  
pit. Allekti dicebantur, inquit Festus, qui propter  
inopiam ex equestri ordine in senatum assumpti fuissent.  
 fiebat enim interdum, ut, uel propter hominum penur-  
 riam, cum bellorum cædibus exinanita esset Resp. uel  
 propter



propter *favorem* & *gratiam*, non tantum ex *equestri* ordine, quem *Alexander Severus* aiebat *Senatus esse seminarium*, sed etiam ex *Libertino* genere, uel ex nouis ciuibus, aliqui in *Senatum* allegerentur, qui ideo uocabantur *Allecti*, & in *conscriptorum* numero ponebantur. *Plutarchus* enim in *Problematis* ita scribit; Cur *Senatores* alios *patres conscriptos*, alios tantum *patres appellabant*? an eos, quos ab initio *Romulus* delegerat, *patres ac patricios* nominabant, quasi bonis *parentibus natos*, reliquos deinde ex *plebe electos*, & *adscriptos in Senatum conscriptos* uocitarunt? *Pedarij* dicti sunt, qui non habebant *sententiæ dictionem* in *Senatu*, sed in aliorum *sententiâ pedibus ibant*. de quibus *infra suo loco plura dicemus*. Inter *Senatorias personas* etiam *uxores Senatorum numerantur*, sed *filix nisi Senatori nupserint*, nequaquam *clarissimæ*, aut *Senatorix* dici solent. Tandem igitur *fœmina* dici *clarissima* poterit, ut scribit *Vlpianus*, quædu *Senatori nupta fuerit*, uel *uero clarissimo*, uel ab eo *separata alij dignitatis inferioris non nupserit*.

L. *Femine. ff.*  
de *Senat.*

## De numero Senatorum.

### C A P. III.

QUot autem numero *Senatores* uno tempore *solerent esse usque ad Iunij Bruti ætatem*, ex *ijs*,  
quæ

quæ dicta sunt, intelligi facile potest. nam ab ipso Ro-  
 mulo ad Tarquinium Priscum tantummodo centum erant,  
 neque quisquam addi solebat, aut eligi, nisi in demortuorum  
 locum. Tarquinius uero, sicuti supra demonstratum est,  
 centum alios addidit, ut essent omnes postea ducenti, quem  
 numerum Iunius Brutus, uel, ut Plutarchus sentit, eius  
 collega P. Valerius exactis regibus ampliavit. centum  
 enim & sexaginta quatuor eis, qui ex cædibus Tarqui-  
 nij Superbi superstites erant, adiunxit, atque ita Senato-  
 rum numerus ad trecentos peruenit. Longo deinde tem-  
 pore plures trecentis non fuerunt, at sæpenumero pau-  
 ciores, cum aliqui quotannis morerentur. sed quinto quoque  
 anno censores legere Senatum instituerunt, & in locum  
 demortuorum alios ad trecentorum summam electos ad-  
 iungere. qua de causa Hebræus ille scriptor ita de Ro Macab. i.  
 manis inquit; Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie  
consultant trecenti uiri. Postea uero multorum ambitio-  
 ne, qui plurimum in Rep. poterant, quales erant belli  
 Duces & Imperatores, qui uel strenuis uiris, uel amicis  
 suis gratificantes plures in Senatum cooptari procura-  
 bant, usque eo senatorum numerus auctus est, ut nunquam  
 certus esse posset. nam M. Tullius in ea oratione, quam  
 post reditum suum habuit in senatu sic ait; Quo quidem  
die, cum quadringenti decem senatores essent, magistra-

D iusque

tusq; omnes adessent, dissensit unus, & primo ad *At-*  
*ticum* libro, *Homines*, ait, ad quindecim *Curioni* nullū  
 senatusconsultum facienti assenserunt, facile ex altera par-  
 te quadringenti affuerunt. *A*t uerò *Iulius Cæsar* de-  
 uicto *Pompeio*, & occupata *Rep.* tam multos in senatū  
 legisse dicitur, ut non tantum *Orchestra* in *Theatro*,  
 qui locus erat senatorum proprius, sed etiam quatuorde-  
 cim primos ordines, in quibus equites sedere consueuerāt,  
 penè replerent. multos enim etiam ignobiles uiros, quo-  
 rum fortissima opera usus in bello fuerat, remunerandi  
 gratia, ordine amplissimo cohonestare uoluit. Post *Cæ-*  
*saris* mortem, cum uarijs & turbulentis calamitatibus  
 afflictā diu fuisset *Romana Resp.* & longo tempore ci-  
 uilia atq; intestina bella uiguisent, plurimi etiā indignis-  
 simi per ciuitatis principes in senatorium ordinem perue-  
 nerunt, usq; adeo ut triumuiratu constituto, quamuis ma-  
 gna senatorum multitudo partim in ciuilibus bellis occidis-  
 set, partim *Triumuirorum Antonij, Lepidi, atque*  
*Octauij* proscriptione crudelissimè trucidata fuisset, ta-  
 men etiam supra mille superstites euaserint. Verū *Au-*  
*gustus Cæsar* postquam deuictis aduersarijs Imperium  
 suum stabiluit, & à bellis conquieuit, huic rei tam neces-  
 sariæ mentem adiecit. & reiectis indignis atq; sordidis  
 hominibus senatorij ordinis sentinam exhaustit. de qua re  
 Suetonius

Suetonius ita scribit; Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba, erant enim supra mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiã & præmium allecti, quos abortiuos uulgus uocabat, ad modum pristinum, & splendorem redegit.

## De Aetate Senatoria.

### CAP. IIII.

**D**E Senatorum aetate sic accepimus. non potuisse olim quenquam Senatorem fieri, ut scilicet in Senatu sententiam diceret, nisi qui iam senior esset, hoc est, qui annum quintum & quadragesimũ attigisset. putabant enim ueteres hanc aetate maxime aptã esse consilijs, quod tunc iuuenilis calor iam defuerat, et animus uigorem suum explicare facile posset. nam una cum aetate cõsiliũ etiam & prudentia crescere existimatur. quod ita Lucretius poëta sanequam eruditus attestatur;

Inde ubi robustis adoleuit uiribus aetas.

Lib. 3.

Consilium quoque maius, & auctior est animi uis.

Hac de causa scientiarũ pater Homerus ait, Seniorũ munus esse consiliũ, et eius æmulator Virgil. in cõsilijs dandis ferè seniores introducit, ut in quinto Aeneid. Lib. 4. Iliad.

Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas

Quem docuit multaq; insignem reddidit arte,

D 2 Hæc

*Hæc responsa dabat. — atq; ut magis hęc rem confirma-  
ret, non ita multo post facit Anchisem Aeneæ sic in  
somis præcipientem; Consilijs pare, quæ nunc pulcher-  
rima Nautes Dat sentor. — Plutarchus in opere, quo dis-  
putat, an seniori sit administranda Resp. dicit, eam ciui-  
tatem diuissime conseruari, in qua consilia senum, & iu-  
uenum læcæ præcellunt. Euripides in Menalippo si-  
cuti Stobeus citat, ita scripsit;*

*Dictum est uetustum, facta iuuenum, cæterum*

*Magis ualent consilia natu grandium.*

*Docet Aeschines in oratione quam habuit contra Cte-  
siphontem apud Athenienses eam fuisse consuetudinem,  
ut in publicis consilijs, cum factum esset silentium ita præ-  
co clamaret, Quis uestrum, ex ijs, qui annum quinq-  
uagesimū excesserunt, sententiã dicere paratus est? quo ex  
loco intelligitur, ante quinquagesimū annum in Atheni-  
ensium Rep. non licuisse fieri publici consilij auctorem.  
um enim ingenij, & acumen mentis ad nonum & qua-*

Lib. 2. Rhet.

*dragesimum annum usq; crescere, testis est Aristo-  
teles, quo tempore maturitas est consilij. uerum, ut dixi,  
Romani, seniozem ætatem ab anno quadragesimo quin-  
to incipiebant. totam enim ætatem hominis ita ueteres, ut  
auctor est M. Varro, distinguebant. ut sex eius par-  
tes efficerent, quas ex annis quindecim singulas consta-*

re uo

re volebant. Qui igitur in prima ætate constituti essent,  
 usq; ad annum decimum quintum, pueri uocabantur. deinde Pueri  
 ad trigessimum usq; adolescentes erant, tum ad quadra  
 gesimum quintum iuuenes dicebantur, quod ætate illa ma Iuuenes  
 ximè uiribus ac uirtute bellica Remp. iuuare possent, de  
 inde ad sexagesimum usq; seniores appellabantur, quæ Seniores  
 iam ætas matura & perfecta credebatur, & ad consu  
 lendum maximè præter cæteras idonea, quocirca eo tẽ  
 pore qui senatores erant, pignoribus & multa cogeban  
 tur in senatum uenire, deq; Reip. administratione, senten  
 tiam dicere. nam post annum sexagesimum non amplius  
 seniores, sed iã senes uocabãtur, quo tẽpore nõ citabãtur Senes  
 in senatũ, sed arbitrio suo poterant uel abesse, uel uenire. Lib. II. cap. I.  
Lex enim, ut ait Cælius, à quinquagesimo anno militem nõ quinquag.º  
legit, à sexagesimo senatorẽ non citat. Senectus ad quin  
 tum & septuagesimum annum extendebatur, ultra hanc  
 ætatem ad finem usq; uitæ decrepiti uocabantur. Cum igit Decrepiti  
 tur ex Romanorum distinctione, nam alij aliter eas dis  
 tribuunt, sex homini ætates habeantur: incunte demum  
 quarta ætate, quæ à quinto & quadragesimo anno incia  
 piebat, ad senatorium ordinem qui digni babiti fuissent,  
 admittebantur, qua de causa dixit Ennius,  
 Moribus antiquis res stat Romana, uir isq;.  
 Quem Ennij uersum Cicero tertio de Repub. sicut



D 3

August

Augustinus scribit, tantopere miratur, ut uel breuitate, uel ueritate tanquã ex oraculo sibi quoddã effectũ uideri dicat. homines. n. tantũ antiqua uirtute ac fide solebant olim in Senatũ legi. & quãuis post annũ sexagesimũ Senatores in curiã uenire nõ cõplerentur suã tamen dignitatem atq; autoritatẽ ad finẽ usq; uitæ retinebãt, et senatorijs muneribus atq; immunitatibus fruebãtur. nisi fortas se propter delictum aliquod à Senatu reiecti fuissent.

consularis  
ætas

Atq; hæc etiã ætas, de qua loquimur, Cõsularis erat. Romanorum. n. legibus ante quintum & quadragesimũ annũ Cõsul fieri nemo poterat. quod si quisquã ante illud tempus cõsulatum adeptus est, is à legibus prius absolutus fuit. quãuis Cicero quinta Philippica duos annos huic ætati consulari uideatur adimere cum ita inquit; **Q**uid **M**acedo **A**lexãder, cum ab ineunte ætate res maximas gerere cõpisset, nõne tertio et trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decẽ annis minor quam Cõsularis. Paulatim deinde Romæ cõepit etiã iunioribus curia patere, ut qui tãto honore digni uiderentur, post annum trigesimũ in Senatorũ collegium cooptarentur. quod ita Cicero quarta in uerrem **A**ctione significat, ubi de **H**alesinis uerba facit; cum haberẽt inter se cõtrouersias de Senatu cooptãdo leges ab Senatu nostro petuerunt. decreuit Senatus honorifico Senatus consulto

consulto, ut his C. Claudius Appij filius Pulcher Prætor de senatu cooptando leges cōscriberet. C. Claudius adhibuit omnibus Marcellis, qui tum erāt, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit. de ætate hominum, ne quis minor triginta annis natus, de quæstu, quem qui fecisset, ne legeretur, de censu, de cæteris rebus. Paulo post: Agrigentini de Senatu cooptando Scipionis leges antiquos habēt, in quibus eadē illa sancta sunt. Judices autē nō poterāt esse, nisi quinq; et triginta annos nati essent, quod in Augusto Suetonius ostendit, cū ait Augusti Judices ab anno 30. allegisse, id est, inquit, quinquēnio maturius quā solebāt. Atq; initio quidem nullæ erāt leges de ætate senatoria cōstitutæ, tātum ea cōsuetudo seruabatur à Romulo tradita, ut soli seniores post annū quintū et quadragesimū, ut antea diximus, in Senatū legerētur, donec à L. Iulio Tribuno T. Livius lib. pl. Lex annalis lata est, quot annos nati quēq; magistratū peterent, caperentq;, unde cognomen familiæ inditū est, ut Annales appellarentur, ad hanc legem respexit Ovidius cum Fastorum libro quinto sic ait;

*Iura dabat populo senior, finitaq; certis*

*Legibus est ætas, unde petatur honor.*

Eadem lex etiā annaria dicebatur (ut auctor est Festus) ante hanc legem frequenter etiā iuvenes, in quibus maxi-

ma



*maxima uirtus enitisset, populo Romano concedere  
 te consulatum & reliquos magistratus assequebantur.  
 quod Cicero quinta Philippica sic affirmat; Itaque  
 maiores nostri ueteres illi admodum antiqui leges annales  
 non habebant: quas multis post annis attulit ambitio,  
 ut gradus essent petitionis inter æquales, ita sæpe magna  
 indoles uirtutis priusquam Reip. prodesse potuisset, ex-  
 tinctæ fuit. at uerò apud antiquos Rulli, Decij, Coru-  
 ni, multiq; alij, recentiore autem memoria superior Afri-  
 canus, T. Flaminius admodum adulescentes consules fa-  
 cti, tantas res gesserunt, ut populi Romani Imperium  
 auxerint, nomen ornarint. Illam autem fuisse olim con-  
 suetudinem legimus, ut pleriq; senatores filios suos adhuc  
 prætextatos, & paruulos secum in senatum adducerent,  
 & omnibus decretis, ac senatusconsultis præsentem esse  
 cõcederent; ut à teneris annis quibus rationibus esset ad-  
 ministranda Resp. perdiscerent. Verum ea consuetu-  
 do postea fuit immutata. res enim quædam accidit Lepi-  
 da ac festiua, quam M. Cato retulit in oratione qua u-  
 sus est ad milites contra Galbam, ut primo libro Gel-  
 lius in hunc ferè modum recitat; Mos (inquit) antea se-  
 natoribus fuit, in curiam cum prætextatis filiis introire.  
 Tamen cum in senatu res maior quædam consultata, eaq;  
 in diem posterum prolata esset, placuit ut eam rem, super  
 qua*

qua tractauissent, nequís enunciaret, priusquam decreta fuisset. Mater Papyrij pueri, qui cum parente suo Senatore in curia fuerat, percūctata est filium, quidnam eo die patres egissent in Senatu. puer respondit, non esse fas illud enunciare. mulier fit audiendi cupidior. silentium pueri uehementius, & uiolentiùs expugnare contendit. Tum puer urgente matre Lepidi atque festiui mendacij consiliū capit. Actum in Senatu fuisse dixit, utrum utilius, & magis è Repub. esse uideretur, unus ne utraque uxores haberet, an una mulier apud duos uiros nupta esset. hoc illa postquam audiuit, domo festinanter egressa, ad reliquas matronas accedit, et cum eis rem auditam communicat. Ad Senatum postridie matronarum ingens caterua cum multis precibus et lachrimis aduolat, & cunctæ pariter obsecrantes orant. ut una potius duos maritos habeat. quam unus duas uxores. Senatores dum in curiam ingrederentur. quæ esset illa mulierum intemperies, & quid sibi uellet ea postulatio mirabantur. puer Papyrius in medium progressus, quid ex se mater audire institisset, et quid ipse commentus matri dixisset, remq; omnem perinde ut gesta fuerat exponit. Senatus uniuersus pueri fidem atque ingenium exosculatur. consultum facit, uti postea pueri cum patribus in curiam ne introeant, nisi ille unus Papyrius.

E puerō

puero deinceps honoris gratia Prætextato cognomen-  
 tum fuit. ob tacendi, loquendiq; in ætate prætextata pru-  
 dentiam. Nemo igitur post illa puer curiam ingredieba-  
 tur, neq; quisquam Senator esse poterat, nisi qui in æta-  
 te legitima cōstitutus, uel curulem magistratum cepisset,  
 uel ædilis, uel tribunus, uel prætor, uel quæstor fuisset,  
 uel qui ex hoste Romano spolia reportasset, uel qui co-  
 ronam civicam accepisset. quod si quis unum aliquod, aut  
 plura ex his honorū insignibus adeptus fuisset, interdum  
 etiam ante legitimū ætatis annum senatorium ordinem  
 assequeretur. multi etiam ob egregiam nobilitatem et uir-  
 tutem legibus soluti ante ætatem in Senatum ueniebant.  
 quamuis curulem magistratum non gessissent. Illud præ-  
 terea dignum animaduersione mihi uisum est, imperium  
 aut exercitiū nemini prius dari solitum, quam in albo Se-  
 natorum adscriptus esset. nisi fortasse solutus legibus fuis-  
 set. quod in oratione pro lege Manilia Cicero uerbis  
 illis ostendit; Quid tam præter consuetudinem quam ho-  
 mini per adolefcenti cuius ætas à senatorio gradu longè  
 abesset, imperium, atque exercitum dari? Cornelius Ta-  
 citus quintodecimo libro sic ait, Et *Viuianus Annius*  
 gener *Corbulonis* nondum senatoria ætate, sed pro le-  
 gato quintæ legionis impositus. Quāuis autem multi se-  
 natores essent iuniores, tamen ex eis pauci sententiam di-  
 cebant,

cebant, quoniam ut quisque erat natu maximus, ita primus à Consulibus, uel à Prætoribus, uel ab eis, qui senatum coëgerant sententiã rogabatur. atque ita deinceps legitimo quodam ordine seniores loquebãtur. ut uel nunquam, uel certè rarissimè iuniorum sententiæ locus relinqueretur, sed ij, uel uerbo assentiebantur, uel pedibus in maiorum sententiam discedebant.

## De Habitu atque uestitu

Senatorum.

CAP. V.

**E**T quoniam sapientes illi Romani patres id esse uerissimum præclare intelligebant, quod græco uersu iam pridem testatum fuerat, magnificum habitum atq; uestitum sæpenuero magnã hominibus auctoritatem adiungere, uoluerunt etiam egregio atque notabili corporis cultu à cæteris hominibus Romanis, hoc est ab equestribus, & plebeis discriminari. & aliquibus præcipuis insignibus ante alios eminere, quamuis enim pacis tempore ciues omnes Romani cuiusq; generis oblonga, & ad talos usque demissa toga uterentur, unde Virgilius ita cecinit:

Romanos rerum dominos gentemq; togatam.

Alius tamen erat senatorũ habitus atque uestitus, alius equitum, alius plebeiorum. Senatores enim & patricij

E 2 purpuratis

purpuratis uestibus induebantur, neq; cuiquã Romæ licebat in purpura conspici, nisi uel senator esset, uel senatoris filius, uel in aliquo nobili magistratu constitutus. hac de causa Plinius ait, purpura curiam ab equite distinguit. tãtæ enim æstimationis olim purpura fuit, ut auro preciosior haberetur, & Reges tantum ac ditissimi homines illa uterentur, ideo Virgilius in Georgicis ait,

*Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit.  
Et in quarto Aeneidos de regina Didone uerba faciens inquit, Aurea purpuream subnectit fibula uestem.  
hinc Romani Imperatores purpureum gestare paludamentum consueuerant, quod Plutarchus in M. Crasso testatur. tradit Athenæus apud Colophonios olim ad mille uiros in purpurea ueste conspici solitos, quod eo tempore perquam rarum erat in ipsis regibus. Romæ sanè magistratus omnes purpureis uestibus induebantur, præter Tribunos plebis, cuius rei causã quærit Plutarchus in Problematibus. unde pro ipso magistratu purpura ponitur, Martialis, Purpura te felix, te colit omnis honos.  
Romanis autem equitibus & annulis aureis, & cæteris ornamentis ex auro cõcessum erat uti, sed purpuram induere nemini licebat, nisi postquã uel magistratum esset adeptus, uel in senatorum numero cõscriptus fuisset. Vestis igitur senatoria latusclauus dicebatur. quæ non toga, ut pleriq;*

ut pleriq; opinantur , sed tunica prætexta erat , hoc est quæ purpuram quæq; uersus circumtextam habebat. & erat lōgior ac latior uulgaribus tunicis, cui toga talaris superinduebatur. hæc in priori parte à collo ad umbilicum usq; lata quædam & rotunda signa ex purpura & auro facta continebat, quæ à figura quam habebant, clauis ut lati dicebantur. unde uestis nomen habuit, ut *latusclauus* uocaretur. Sunt qui putent totam hanc senatoriam uestem quibusdam purpureis nodis, qui capitis clauorum instar haberent, distingui solitam, eo fere modo, quo nostro tempore, quæ *Damascena uestis* dicitur, quosdam flores, & uarias picturas præ se fert, quoniam ita *M. Varro* libro de *Analogia* secundo scriptū reliquit; Si quis tunicam in usu ita cōsueuit, ut altera plagula sit angustis clauis, altera latis, utraq; pars in suo genere caret analogia. sed ego quouis pignore contenderim clauos illos latos in senatoria ueste tantum in pectore fuisse collocatos, cum præsertim hoc *Horatius* aperte significare uideatur, cum ita inquit; — & latum demisse pectore clauum. Nam locus ille *Varronis* de parte Li. I. Sc. sat. 6. superiori tunicæ, atque inferiori potest intelligi, ut scilicet analogia non possit aliter seruari, nisi & superiores & inferiores clauis in tunica, uel omnes angustis, uel omnes lati sint. hæc eadem tunica palmata

E 3 uocaba

uocabatur à latitudine clauorum (ut auctor est Festus) qui ferè palmæ orbem æquarent. non autem, ut Budæus censet, quod arborem palmam inscriptam ac pictam haberet. hoc enim nõ in tunicis palmatis ac latis clauis, sed in togis triumphalibus fieri consueuerat, quæ ideo togæ pictæ uocitabantur. T. Liutus libro decimo. Quos (inquit) uos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaq; honoratis. Græci tunicam hanc palmatam, siue latum clauum platysmon appellabant, quasi latis signis aut clauis distinctam. atq; hæc laticlavi perpetuo gestandi auctoritas, inter primas dignitates habebatur. ut Herodianus auctor est. Quinetiam sæpenumero latus clauus pro senatoria dignitate ponitur, sicuti ius annuli aurei pro equestri ordine. Plinius in Epistolis. Ego Sexto latum clauum à Cæsare nostro, ego quæsturam impetraui. hæc uero tunica in Luctu publico deponeretur. T. Liuius ubi de caudina clade uerba facit, ita inquit; Laticlavi, annuli aurei possit, penè exercitu ipso mæstior ciuitas esse. Quod autem Latusclauus esset tunica, non toga declarat apertè Plinius cum ita scribit; Annuli distinxerunt alterum ordinem à plebe, ut semel coeperunt esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantum. quâquam & hoc serò, uulgoq; purpura latiore tunicæ usos inuenimus

Lib. 3.

Lib. 9.

Lib. 33. cap. 1.

mus

mus etiam præcones, sicut patrem L. *Aelij Stilonis*, Præconini ob id cognominati. quibus ex *Plinij* uerbis intelligitur, primo fuisse promiscuum tunicæ prætextæ usum, postea successu temporis institutis ac legibus proprium senatorum esse factum, additis etiam latis illis clauis, à quibus laticlauia tunica fuit appellata. Scribit enim *Valerius* à *P. Scipione Numidam* iuuenem quendam sororis *Massaniisæ* filium laticlauia tunica, cæterisq; rebus donatum ad auunculū *Massaniisam* fuisse remissum. Quod uerò legimus aliquando senatores non tantum laetoclaui, sed etiam toga prætexta uti solitos, id aduertendum est, eo tantum tempore hoc eis licuisse cum aliquem gererent magistratum, unde *Cicero* pro *Domo sua* dixit, uidere prætextatos inimicos, id est, in magistratu constitutos, & post reditum in senatu, consul (inquit) unguentis oblitus, cum toga prætexta. & septima in *Verrem* *Actione*, ostendit ædiles togam prætextam, & sellam curulem habuisse. *T. Liuius* libro septimo, pro uno cōsule plebeio, tres (inquit) patricios magistratus curulibus sellis prætextatos tanquam consules sedentes nobilitatem sibi sumpsisse. fiebant etiam chlamydes purpureæ prætextæ, quibus in bello præcipuè utebantur quod indicat *Virgilius* in quinto cum ita inquit;

*Victori chlamydem auratā, quam plurima circum  
Purpura*



*Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.*

Sex. Pomp.

*Illud ex antiquis scriptoribus planum atq; perspicuū est, omnes pueros patricos, & puellas senatorum filias togæ prætextæ usum habuisse, quam anno decimo septimo pueri deponebant, cum uirilem togam sumerent, puellæ uero cum nubarent. Cicero tertia in Verrem actione de pupillo Iunio sic ait; neque te tam commouebat, quod ille cum toga prætexta, quam quòd sine bulla uenerat. et in eadem oratione de puella, Eripies igitur pupillæ togam prætextam, detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis? uolebant enim Romani senatores filios suos & filias in uestitu maiestatem quandam præ se ferre, & ipso rubore purpuræ pudorem ingenuitatis ostendere, cum interim ipsi tunicas tantum prætextas haberent, nisi cum aliquem magistratum gererēt. tunc enim (ut antea diximus) togam etiam prætextam sumebant, & sellam curulem habebant, & cætera magistratus insignia. Nam quinq; generibus hominū apud Romanos purpuram olim fuisse concessam legimus. primò ipsis magistratibus, deinde pueris, tum senatoribus, quarto sacerdotibus in sacrificijs peragendis, postremo triumphantibus. quod Plinius his uerbis perspicuè declarat, Huic fasces, securesq; Romanæ uia faciunt, idemq; pro maiestate puericiæ est, distinguit ab equite curiam,*

*Dij*

*Dijs aduocatur placandis, omnemq; uestem illuminat, in triumphali miscetur auro. Quin etiã uiri clarissimi rebusq; gestis insignes ac nobilitati cum purpuratis uestibus ad sepulturam deferebantur. & ipsæ etiã uestes eorum corporibus cremabatur. L. Valerius apud T. Liuium contra legem oppiam uerba faciens ita inquit; Purpura uiri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotijs, liberi nostri prætextis purpura togis utentur, magistratibus incolonijs, municipijsq; hic Romæ infimo genere magistris uicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus, nec ut uiui solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui, foeminis duntaxat purpuræ usû interdicemus? ad hanc consuetudinem respexisse Virgilius in sexto uidetur, cum de Misenio mortuo sic ait;*

*Purpureasq; super uestes uelamina nota Cõiiciunt. — Neque illud prætermittendum esse mihi uidetur, tantam olim togæ prætextæ fuisse uenerationem, ut Prætores ipsi, cæteriq; magistratus, cum rerum capitalium iudices essent, & in aliquem reum tristiore sententiam essent pronuntiaturi, non prius ad condensationem accederent, quam togam prætextam exuissent. quamobrem ipsi reo iudicem rerum capitalium togam prætextam deponentem uidere, maxime horribile ac pertinensendum erat. Toga*

F  
gama

gam præterea pictam, & Scipionem eburneum olim senatoribus, qui res egregias gessissent, tanquam egregia munera concessa fuisse obseruauimus. quod libro quarto Cornelius Tacitus ita significat. Missusq; est e senatoribus, qui Scipionem eburneum, togam pictam antiqua patrum munera daret, regemq;. & socium atq; amicum appellaret. erat autem toga picta eadem quæ purpurea, in rectè Baifus sensit, T. Linius, dona (inquit) ampla data, quæ ferrent regi, uasa aurea, argenteaq;, togasq; purpurea, & toga prætexta. Cicero secunda Philippica sedebat in Rostris collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus. hæc eadem erat toga triumphalis, quæ ideo picta dicebatur. quod ex auro & purpura esset intexta. quare Plinius dixit, purpuram in triumphali auro misceri. Triumphantium autem Imperatorum quæ essent ornamenta. docet his uerbis T. Linius. Ibi Massanissam primum regem appellatum. emissisq; ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea, & Scipione eburneo. toga picta, & palmata tunica donat. addu uerbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliore eo ornatu esse. Tam uero senatores omnes atque patricij lunatis calceis utebantur, hoc est lunæ signum in calceis habebant. atque hoc

præter

Lib. 1. belli  
Maced.

Li. 9. cap. 36.

Lib. 30.

præter cætera præcipuum erat nobilitatis indicium. quod Iuuenalis de Quintiliano uerba faciens illis uersibus ostendit;

Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus,

Satyra 7.

A ppositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Cicero quendam A sinium in Philippicis irridet, atq; exagitat, quod mentita nobilitate lunatos calceos sumpsisset, & in Senatum sua ipsius autoritate uenisset, sic enim ait; Est etiam A sinius quidam Senator uoluntarius, lectus ipse à se apertam curiam uidit post Cæsaris mortem, mutauit calceos, Pater conscriptus repente factus est. uidentur autem hoc Romani sicut alia pleraq; ab externis gentibus ornamenti genus accepisse. quandoquidem mirificus ille uates Hebræus Esaias nobilibus feminis minatur fore, ut eis Deus ornamenta calceorum, & lunulas auferat. antiqui Romani hoc genus calceorum mulleos appellabant (ut Festus auctor est) quibus Reges Albanorum primi, deinde Romæ patricij usi sunt. M. Cato in Originibus tradit initio calceos mulleos ijs tantum, qui magistratum curulem cœpissent, fuisse concessos. Plutarchus in Problematibus querit causam cur apud Romanos, qui nobilitate cæteris præstare uiderentur Lunulas in calceis gestarent, & quatuor satis uerisimiles affert rationes. Prima est, quod existimarem for-

F 2 tes,

tes, & præstantes viros post hanc vitam in cœlum redire, & in luna domicilium statuere, atque ita lunam sub pedibus habere, ut ille Virgilianus Daphnis, de quo ita Menalcas pastor;

Candidus insuetum miratur lumen Olympi

Sub pedibusq; uidet nubes & sydera Daphnis.

Altera quod eo signo se uetustissimos esse declararent, & ab Arcadibus natos, qui Euãdro duce in Italiam uenerunt. ipsi uerò Arcades ante Lunam se ortos fuisse gloriabantur, ut Ouidius primo Fastorum libro sic affirmat;

Orta prior lunâ, de se si creditur ipsi,

A magno tellus Arcade nomen habet.

Tertia ratio est, quòd homines elato animo & superbo uellent eo signo rerum humanarum mutabilitatis & inconstantia moneri. sicut enim Luna primum in lucem ex obscuritate produci, & paulatim progrediens toto orbe splendorem accipit, deinde ab illa claritate rursus ad tenebras reduci, ita nullus est tantus in homine splendor, quin extingui facile possit. Quarta quod obedientia modestiaq; signum id esset, ut maioribus obtemperare, & imperium æquo animo ferre cõdiscerent, quemadmodum Luna superiori & meliori obsequitur, & solem (ut Parmenides ait) semper intuetur.

De filijs

## De filiis Senatorum Cap. 6.

**F**ilij Senatorum omnes iure ipso Senatores erant, etiam si nondum in Senatu sederent, neque sententiã dicerent. hæc enim non nisi cum ad legitimã ætatem peruenissent, assequi poterant. Quod si quis ex ordine senatorio sibi filium adoptasset ex inferiori ordine, filius ille adoptiuus senatorius, & patricius, qualis erat is, qui adoptabat, efficiebatur. qui uerò patricius se in adoptionem plebeio homini dedisset, senatoriam dignitatem amittebat. ut P. Clodius Ciceronis inimicus cum esset patricius, quò Tribunus plebis fieri posset, se homini plebeio adoptandum dedidit. Verum postea fuit institutũ ut adoptio dignitatem non adimeret. Sic enim Paulus iuriconsultus ait, Non amittitur senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis. Quare Senatoris filius siue naturalis sit, siue legitimus ac adoptiuus dignitatem habet senatoriam, non autem emancipatus. nam emancipatio dignitatem adimit. Ulpianus iuriconsultus ita scribit; Senatoris filium accipere debemus, non tantum eum, qui naturalis est, uerum adoptiuum quoque, neque intererit à quo uel qualiter adoptatus fuerit, nec interest an in senatoria dignitate constitutus eum suscepit, an ante dignitatem senatoriam, quin etiam posthumus filius Senator est.

L. Senatoris  
2. ff. de Sena.

L. eadem.  
L. Senatoris  
1. ff. de Sena.

L. Emancipa  
tio, de Senat.

est. neque enim mors patris concepto iam filio, quamuis nondum in lucem edito, debet obesse. uerum qui concipitur, & nascitur eo tempore, quo iam pater à Senatu reiectus est, ille nequaquam senatoris filius dici potest. si quis uerò conceptus antea fuisset, quàm pater senatu remoueretur, is omnino senatoriam dignitatem obtinet. qui senatorem auum habuerit, etiam si concipiatur post amotum à senatu patrè. tamen senatoris nepos dicitur, ut aui potius ei dignitas prosit, quam obsit casus patris. At uerò puerorum nobilium et patriciorum insignia hæc erant, toga prætexta, & bulla aurea, de prætexta superiori capite uerba fecimus, bulla uerò quoddam erat ornamentum ex auro, quod cordis formam ac similitudinem habebat. hanc ingenui pueri collo suspensam ante pectus gestabant. quod ita Propertius Elegiarum libro 4. indicat;

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo.

De hac ita Macrobius Saturnalium primo scribit; Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quâ inspicientes ita demùm se homines cogitarent, si corde præstarent, togam quoque prætextam his additam, ut ex purpure rubore, ingenuitatis pudore regerentur. Sed initio prætextam & bullam puerilis ætas non habebat. erat enim prætexta magistratuum habitus, & aurea bulla triumphantium,

phantum, quam in triumpho præ se gerebant inclusis  
 intra eam remedijs, quæ contra inuidiam putabant esse  
 ualentissima. Verum Tarquinius Priscus filium suum  
 annos quatuordecim natum, quod hostem manu percussere-  
 rat, & pro concione laudauit, & bulla aurea, prætex-  
 taq; donauit. uoluit enim puerum ultra annos fortem præ-  
 mijs uirtutis & honoris insignire. hinc deducta est con-  
 suetudo, ut toga prætexta & bulla, boni omnis gratia,  
 pueris nobiles concederetur, ut uirtutem ei similem ac-  
 quirerent, quam is habuit puer, cui à teneris annis mune-  
 ra ista cesserant. hac de causa bullati uocabantur pueri  
 patricij, quod bullis essent ornati. Iuuenalis,

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres

Satyra 14.

Bullatus. — cum autem ad decimum septimum annum per-  
 uenissent, bullam Deis domesticis ac laribus suspende-  
 bant atque dicabant, Persius,

Bullaq; succinctis laribus donata pependit,

Satyra 5.

Et postea prætexta, togam uirilem magna cum amico-  
 rum celebritate sumebant. Fuit etiam uetus institutum  
 (ut Valerius scribit) ut adolescētes senatorum filij pri-  
 mo flore ætatis parentes, & necessarios suos in uesti-  
 bulo curiæ operirent; illosq; senatu egressos domum re-  
 ducerent, & comitarentur. Augustus Cæsar (sicuti  
Tranquillus est auctor) ut senatorum liberi senatui ce-  
 lertus

Lib. 2. cæ. 11



lerius assuescerent, iuuenibus post uirilem togam protinus latum clauum dedit, & curiæ admisit. Idem Tranquillus ostendit anno ætatis decimo sexto uirilem togam Romanos iuuenes sumere solitos, cū ita scribit in Augusto; Duodecimum annum agens, auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio post uirili toga sumpta.

## De Senatorum censu.

### CAP. VII.

**Q**uoniam autem sæpius apud antiquos auctores de Senatorio censu mentionem fieri legimus. hac etiam de re sunt à nobis aliqua uerba facienda. Sciendum est igitur priscis illis temporibus, quibus unica uirtus in honore ac precio fuit, non ad diuitias & opes, sed ad uitæ integritatem & sapientiam in legendis senatoribus, & honoribus ac magistratibus demandandis Romanos respicere solitos fuisse: quippe cum nemini paupertas operobrium aut dedecus esset. omnesq; tam patricij, quam plebeij agriculturam exercerent, et rebus rusticis, atq; pascendis pecoribus operã darent, unde sic ait Ouidius;

Iura dabat populis posito modo Prætor aratro,  
Pascebatq; suas ipse Senator oues.

Et Cicero de Senectute sic ait; a uilla in Senatum accerserantur,

cersebantur, & Curius, & ceteri senes, ex quo, qui eos accersebant, uiatores nominati sunt. hinc non sine causa Virgilius ad ea tempora respiciens, ubi de Euandro loquitur, pauperem Senatum appellauit;

*Vna omnes iuuenum primi, pauperq; senatus.*

Quin pleriq; senatores, & consulares, & triumphales, cum ciuitatem atq; ærarium manubijs ex hoste deuicto re portatis magnopere ditauissent, in tanta ipsi paupertate uiuebant, ut, cum ad uitæ finem peruenissent, ne tantum quidem æris relinquerent, unde funeri sumptus suppeditaretur. uolebant enim ipsam Remp. esse quam ditissimam, quoniam plenum ærarium & ad subsidia belli, & ad ornamenta pacis plurimum ualere intelligebant. ipsi uerò ex suis rebus gestis nihil aliud quam honorem & gloriã requirebant: quàm eo maiorem fore putabant, si priuata paupertate clarè testarentur, non se ad propriam utilitatem, sed commune bonum mentis oculos habere semper intentos. Postea uerò tota ratio fuit immutata. nam post illa tempora cum opes Romanæ maiorem in modum auctæ fuissent, non tantum senatores, sed etiam equites Romani ex censu, & diuitijs æstimari cæperunt, omnisq; dignitas & magistratus opulentis tantum hominibus de mandari. qua de causa clamat Ouidius,

*In precio precium nunc est, dat census honores.*

G Censuræ

*Census amicitias, pauper ubiq; iacet.*  
*Et Plinius; Postquam (inquit) senator cēsu legi captus,*  
*iudex fieri censu, magistratum ducemq; nihil magis exor*  
*nare quam censu, pessum iēre uitæ precia. Ac cēsum*  
*quidem ciuium Romanorum, rem (ut inquit T. Liius)*  
*saluberrimam tāto futuro imperio Seruius Tullius Rex*  
*instituit. & omnes ciues pro facultatibus suis in quinque*  
*classes distribuit, sed non ea de causa, ut qui maiorem cen*  
*sum haberent, honores & magistratus obtinerent, uerū*  
*ut diuiores onera Reip. sustinerent. Longo deinde post*  
*tempore cum maxime ampliatum esset Romanum impe*  
*rium, deuicto Annibale & superata Africa atque*  
*Asia multiq; noui ciues ad hanc senatoriam dignitatem*  
*aspirarent, institutum est ab ipso senatu, ut nequis dein*  
*ceps in senatorium ordinem coopraretur, nisi qui Roma*  
*nus eques antea factus fuisset, & censum equestrem du*  
*plicasset. Equester uero census quadringēta millia sester*  
*tiorum continebat. quæ summa si ad nostri temporis pe*  
*cuniam & rationem reducatur, decem aureorum millia*  
*cōficit. Sestertius enim numus, quarta denarij pars erat,*  
*denarius autem argenti drachmam unā pendebat. Itaq;*  
*denarij decem centussem explebant, qui drachmas decem*  
*argenti ualebat, quanti aureus noster æstimatur. quo fit*  
*ut in singulis aureis nostris, quadraginta sestertij Ro*  
*mani*

mani contineantur. Hac ratione Romani equites ex reddito semissis usuræ, qua tunc ferè passim utebantur, singulis annis viginti quatuor sestertiorum millia recipiebant ex suo censu, qui sexcenti sunt aurei nostræ pecuniæ. nam semissis usura centesimæ dimidia pars erat, porro centesima usura singulis mensibus ex centum sestertijs unum exigebat, unde etiam nomen habuit, ut centesima uocaretur uel quia centum mensibus sortem æquaret. hæc igitur in annos singulos ex centū sestertijs duodecim recipiebat. sed impium habebatur & inhumanum usura centesima foenerari, semisse utebantur. Quod si quis mitorem quadringentis sestertijs censum habuisset, eques Romanus fieri nullo modo poterat. Iuuenalis Satyra decima quarta.

Sume duos equites, fac tertia quadringenta, hoc est (ut Budæus interpretatur) opta tibi duplicem triplicemq; sensum equestrem. nam ex equestri ordine gradus & transitus erat ad senatorium, quamobrem Alexander Seuerus Imperator dicere solebat, equestrem ordinem senatorum esse seminarium. At si quis equestrem censum imminuisset, is dignitatem etiam equestrem amittebat. Senatorius uerò census (ut initio dixi) duplo maior erat, quam equester. itaque octingenta millia sestertiorum continebat, hoc est viginti

G 2 millia

millia nostrorum aureorum. ut redditus annuus mille & ducentos aureos æquaret ex semisse usura, ut antea demōstrauimus. neq̄ quisquam minore censu tueri senatorium ordinem poterat. quod in Epistolis ad Valerium scribens Cicero sic ostendit; Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit, quem ordinem ille ista possessione amissa tueri uix potest. At uerò postea Cæsar Augustus neminem posse fieri senatorem constituit, nisi qui triplō maiorem equestris censum haberet, quod ita Suetonius affirmat; Senatorium censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertium taxauit, suppleuitq̄ non habentibus, quibus uerbis ostenditur maxima Cæsaris Augusti in senatum munificētia, qui plurimos senatores, ut maior esset eorū dignitas proprijs pecunijs ditauerit.

## De pedariis Senatoribus.

### CAP. VIII.

**E**Rant quidam inter senatores qui pedarij uocabantur, propterea quòd eis in Senatu neq̄ sententiam dicere, neq̄ uerba facere licebat, sed tantum in aliorum sententiam pedibus ibans. cum enim ea, quæ ab alijs dicta fuerant, comprobare uellent, e loco suo surgebant, & ad eam partem accedebant, ubi sedebat ille, cuius sententiam

nam approbarent, & qui ita faciebant, ire pedibus in  
sententiam dicebantur. Cicero primo ad Atticum li-  
bro. Est illud senatusconsultum summa pedariorum vo-  
luntate, nullius nostrum auctoritate factum, & sequenti  
epistola, Raptim in eam sententiam pedarij cucurre-  
rum. hac de causa Lucilius poeta facetissimus hoc genus  
senatorum, ut Festus auctor est, agipedes uocauit, quasi  
agentes pedibus. Et quamuis uniuersi senatores etiam qui  
sententiæ dictionem habebant, cum per discessionem sena-  
tusconsulta fiebant, pedibus sententiam ferrent, tamen  
ij soli pedarij uocabantur, quibus in senatu sententiam di-  
cere nõ licebat. Horum duo genera fuisse comperimus,  
unum eorum, qui lecti quidem erant in senatum, sed non-  
dum curulem aliquem magistratum gesserant, alterum  
eorum, qui gesserant quidem curulem magistratum, sed  
nõdum a censoribus in senatum lecti erant, qui adhuc equi-  
tes uocabantur, huius generis utriusq; homines in senatũ  
ueniebant quidem, uerum sententiæ dictionem non habe-  
bant. itaq; pedarij senatores appellabantur: cæterosq;  
tantum audiebant, ipsi nihil dicebant; donec illis a Cen-  
soribus, uel consulis sententiæ dicendæ potestas con-  
cessa fuisset. hac de causa Laberius poeta in quodã Mi-  
mo suo ita scriptum reliquit, Caput sine lingua peditaria  
sententia est. Hanc rem totam A. Gellius libro ter-

tio sic explicat. *Atqui hæc etiam uocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in commentarijs suis scriptum reliquit, Senatores enim dicit in ueterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam uehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur. Sed eos senatores qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itauisse in curiam. propterea senatores nõdum maioribus honoribus functos pedarios nominatos. M. autem Varro Satyra Menippea, equites quosdã dicit pedarios appellatos: uideturq; eos significare, qui nondum à Censoribus in senatum lecti senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum ueniebãt, & sententiæ ius habebant, non quidem dicendæ, sed ferendæ. Nam (inquit Gellius) curulibus magistratibus functi, qui nondum à Censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant, & quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant. hoc significabat (inquit) edictum, quo nunc quoq; Consules cum Senatores in curiã uocant, seruandæ consuetudinis causa translatio utuntur. uerba edicti hæc sunt; Senatores, quibusq; in senatu sententiam dicere licet.*

*De dignitate*

## De Dignitate Senatoria.

## CAP. IX.

**S**ed quis illius antiqui Senatus Romani maiestatem  
 atque amplitudinem satis digna oratione non dicam  
 exornare, sed enarrare possit? quam sapientissimus ille  
 uir Cynæus Tessalus memoriæ præstantia nobilis, Pyr-  
 rhi Epirotarum Regis legatus cum Romam Regis sui  
 iussu uenisset, tantopere admiratus est, ut postea cum ad  
 Pyrrhum reuersus fuisset, ei plenus adhuc admiratione  
 dixerit, non se Romæ sicut in cæteris ciuitatibus senatum  
 uidisse, sed consilium quoddam & confessum magnificen-  
 tissimorum regum. cuius uocem T. Liuius libro nono cū  
 de Alexandro Magno loqueretur, sic imitatus ex-  
 pressit; uictus esset consilijs unius iuuenis senatus ille, ne  
 singulos nominem, quem, qui ex regibus constare dixit,  
 unus ueram speciem Romani senatus cepit. Memoria  
 proditum est Gallos tūc maximè barbaros homines, quo  
 tempore deuictis ad Alliam fluuium Romanis urbem  
 ingressi sunt, & senatores primarios, qui se morti pro pa-  
 tria deuouerāt, honorum ac uirtutis insignibus ornatos in  
 medio ædiū eburneis sellis sedere cōspexerunt, tanta ad-  
 miratione fuisse affectos, ut eos nō aliter atq; Deorū simu-  
 lacra angustissima quasi attoniti fixis oculis intuerētur.

de qua



de qua re *T. Luvius* ita scribit; *A*deo haud secus quā venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes utros præter ornatum habitumq̃ humano augustiorem, ma-  
 te state etiam, quam uultus, gravitasq̃ oris præ se ferebat, simillimos *Dijs*, ad eos velut simulacra uersi cum starent, *M. Papyrius* unus ex his dicitur Gallo barbam suam, ut tunc omnibus promissa erat permulcenti, *scipione* eburneo in caput incusso iram mouisse, atq̃ ab eo initium cædis ortū, cæteros in sedibus suis trucidatos. Nō igitur miram si reges olim *Romani* non sua, sed, ut *Dionysius* scribit, senatus consilia sequebantur. hic enim ordo mentis salutiq̃ publicæ *Princeps*, & *publici consilij* dominus semper fuit existimatus, & a primis illis temporibus cum regio dominatu *Roma* teneretur, & perpetuo deinceps sub consulibus, *Dictatoribus*, *Imperatoribus* quicumq̃ senatoriam dignitatem assecutus est, ab omnibus ciuitatis oneribus, tributis, & uilioribus officijs immunis fuit. *Honorius* & *Arcadius* *Imperatores* quemlibet senatorem corporis sui partem esse censuerunt, ut in eorum *Rescripto* ad *Eutrochium* aperte declaratur. *Fenestella* de senatoria dignitate scriptum ita reliquit; *Penes* senatores adeo semper summa *Reip.* innixa est, ut ne reges quidem aut consules, aut *dictatores*, aut alius quispiā magistratus inconsulto senatu quicquam moliretur, adeo

ut cum

Lib. 2.

L. Senatorum  
 & l. Nemo. C.  
 de dignit. 12.

L. quisquis.  
 C. ad. l. lul.  
 Maicst.

ut cū Tarquinius Superbus pleraq̄ præter senatus auctoritatem decerneret, tum demum amisso regio nomine Tyrannus appellaretur. Merito igitur poëtarum princeps Virgilius, qui semper ad Romanos respicit, etiam si aliud agere uideatur, sanctum appellat senatum cum ita inquit;

*Iura, magistratusq̄ legant, sanctumq̄ senatum.*

Merito Claudianus censet Romam ideo floruisse, quia claro senatu cincta, & munita consilijs optimis regeretur, sic enim ait;

*Floreat, & claro cingatur Roma senatu.*

Merito amplissimus ordo, & orbis terrarum sanctissimum grauisimumq̄ consilium uocitabatur, ut de Provincijs consularibus Cicero, *Reduxit me cum illo in gratiam ordo amplissimus, & in Catilinam ait, In hoc orbis terrarum sanctissimo grauisimoq̄ consilio. Nihil enim per se populus Romanus, quamuis maximam habere libertatem uidebatur, statuere, aut confirmare poterat, nisi eius rei patres auctores fierent. Ex quo factum est, ut auctoritas proprie senatorum, maiestas uero populi Romani diceretur, quod in Philippicis ita Cicero demonstrat;* Omnes ad auctoritatem huius ordinis, maiestatemq̄ populi Romani defendendam conspirasse uideantur, hinc imminutæ auctoritatis crimen in eos qui se-

*H natum*

natum offendissent, & læsæ uel imminutæ maiestatis, quæ  
 cõtra populum Romanum aliquid moliti fuissent, uel con-  
 tra Principem atq; Imperatorem qui in populi Roma-  
 ni locum successu. Quot autem & quanta essent senato-  
 rij ordinis ornamenta, quibus immensam quandam digni-  
 tatem præ se ferebat, pro A. Cluentio Cicero sic ostē-  
 dit; Senatorem hoc queri non posse propterea quod ea  
 conditione proposita petere coepisset, quodq; per multa  
 essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset,  
 locus, auctoritas, domi splendor, apud exterarum nationum  
 nomen & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia,  
 fæscæ, exercitus, imperia, prouinciæ. Quamuis enim  
 singuli senatores hæc omnia non haberent, nemo tamen  
 ea consequi poterat, nisi senator antea factus fuisset. si-  
 quidem auctoritas senatus (ait Cicero) decus honestatē,  
 laudem, dignitatem desiderat. Illa uero tria quæ Sueto-  
 nius in Augusto commemorat. omnium senatorum erant  
 communia insigne uestis, ius spectandi in Orchestra, &  
 publicè epulandi facultas. Omnes enim senatores eam tu-  
 nicam gestabant, quæ Latiusclauus uocabatur, ut antea  
 demonstrauimus. Orchestra uero locus erat in Theatri  
 medio, scenæ uicinus, in quo senatorum & magistratuum  
 erant loca ad spectandum designata, quæ sic appel-  
 labatur, quod in ea saltationes fieri consueuissent, quibus  
 senatores,

senatores, & reliqui spectatores oblectarentur. neque cuiquam omnino licebat in Orchestra sedere, nisi aut senator esset, aut senatoris filius. quod tamen honoris gratia senatores ipsi nonnullis externis hominibus aliquando concedebant. Legimus enim interdum legatis exterarum nationum fuisse permittum, ut cum senatoribus in Orchestra publicos ludos spectare possent. post Orchestræ ordines & gradus erant paulatim ascendentes in Theatro, in quibus promiscua plebeiorum multitudo spectandi gratia sedebat, sed postea lex ab Othone Roscio lata fuit, qua cauebatur, ut in primis quatuordecim ordinibus equites tantum considerent. Præterea ius epulandi publice soli senatores habebant, erant enim sodalitates quædam & conuiuia, quæ in honorem Deorum immortalium statis temporibus publice fiebant, in quibus solis senatoribus accumbere licebat, omnes autem in togis candidis accumbebant. his sodalitatibus apud Ciceronem Cato se mirifice delectari solitum tradit. *Memoriæ prodium est P. Scipionem Africanum superiorem cum longo tempore cū Tib. Gracco inimicitias exercuisset, tandem in Capitolio cū senatus frequens ad Iouis epulum cōuenisset, auctoribus patribus conscriptis eas deposuisse, neq; tantū fuisse conciliatum, sed etiam filiam suam Corneliā statim ibidē præ sente senatu Graccho despondisse. Suetonius in*

De senect.

Val. Max. lib.  
4. cap. 2.

H. 2. Augusto

Augusto scribit, ipsum Augustum nonnullis senatoribus, quos a senatu remouerat, seruasse tamen insigne vestis, & spectandi in Orchestra, epulandiq; publice ius. Cicero uerbis atrocissimis uatinium insectatur, quod in epulo Q. Arrii cum toga pulla accubisset, cum ceteri omnes essent albiati. uescebantur autem in templis hoc est in eisdem locis ubi etiam senatus habebatur, nam equites & plebei si quando publice epulabantur, ut in triumphis, in supplicationibus, in funeribus fieri consueuerat, non in curia, aut loco per augures consecrato, quemadmodum senatores, sed in profanis locis accumbebant. hoc igitur etiam senatoriae dignitatis proprium erat, ut in templis epulandi publice ius haberent. Augustus Caesar tanta in senatum obseruantia semper usus fuit, ut quoties in curiam ingrederetur singulos nominatim sedentes saluaret, & cum discederet, nullo se mouente singulis uale diceret. Adrianus Imperator cum libertum suum, quem ualde amabat, inter duos senatores medium ambulantem uidisset, unum ex satellitibus suis misit, qui illi colaphum intuceret, & admoneret, ne se parem illis esse crederet quorum adhuc seruus esse posset, Alexander Severus praeter cetera ornamenta rhedis etiam argenteis, & uehiculis auratis senatoribus ut concessit. Id etiam obseruamus, quod ad rem propositam magnopere facit, cum ad exteras

ad exteras nationes aliquis Romanus senator olim acce-  
deret, etiam si nullum gereret magistratum, tamen sum-  
mo cum honore passim hospicio publico suscipi consuevis-  
se, qua de causa Cicero grauiter in iudicio conqueritur,  
quod *Mamertina* ciuitas, cum in *Siciliam* cōtra *Ver-*  
*rem*, cui *Mamertini* erant amicissimi inquirendi gratia  
accessisset, non se publico hospicio suscepisset. Ecquæ ciui-  
tas est (inquit) non modo in prouincijs nostris, uerum  
in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut  
etiam tam immanis ac barbara? Rex deniq; ecquus est,  
qui senatorem populi Romani lecto ac domo non inuitet?  
qui honos non homini solum habetur, sed primum po-  
pulo Romano, cuius beneficio nos in hunc ordinem ue-  
nimus, deinde ordinis auctoritati, quæ nisi grauis erit  
apud socios, atq; exteras nationes ubi erit imperij nomen  
& dignitas? *Mamertini* me publice non inuitauerunt,  
me cum dico, leue est, senatorem populi Romani si non  
inuitauerunt honorem debitum detraxerunt non homini  
sed ordini. nam ipsi *Tullio* patebat domus locupletissima  
& amplissima *Cn. Pompeij Basilici*, quo etiam si esset  
inuitatus à uobis, tamen diuertisset. erat etiam *Perce-*  
*niorum*, qui nunc item *Pompeij* sunt, domus honestissima,  
quo *L. frater meus* summa illorum uoluntate diuertit. Se-  
nator populi Romani quod in uobis fuit, in uestro opti-

H 3 do

do iacuit, & pernoctavit in publico. nulla hoc alia ciuitas unquam commisit. hæc ibi Cicero. Quam igitur eam dignitatem fuisse putandum est, quam non solum populus Romanus, sed etiam reliquæ ciuitates, reges, populi, nationes maiorem in modum obseruabant? & admirabantur? & quam si qua ciuitas non publice uenerata fuisset, magnum admississe flagitium existimabatur?

## De Gentilitate Senatorum. CAP. X.

Cum igitur ex antiqua consuetudine tanta esset ordinis senatorij dignitas, ut iam à nobis explicatum est, & nobilibus tantum ac bonis uiris curia pateret, factum est, ut apud Romanos olim, soli patricij, quibus natalium splendore senatoriam dignitatem assequi poterant, gentem obtinere gloriarentur, reliqui autem omnes non gentem, sed stirpem habere dicerentur. Sic enim apud T. Lium P. Decius de patricijs loquens ait; Semper ista audita sunt eadem, penes uos auspicia esse, uos solos gentem habere. Quibus uerbis intelligitur, gentiles proprie dictos ipsos inter se patricios, quæ appellatio hoc etiam tempore in usu est. nam gentiles homines uulgari lingua nostra uocantur, qui à claris maioribus,

☞

Et nobili familia nati sunt. quod etiam in Gallica lingua  
 feruari Budæus annotavit. Quod si quis ignobilis esset,  
 is olim sine gente esse dicebatur, unde Horatius ita inquit;

Qui quamvis periturus erit, siue gente cruentus.

Sanguine fraterno, — Cicero pro Domo sua P. Clodius  
 infectatur, quod cum patricius esset, homini plebeo  
 se in adoptionem dedisset, ut Tribunus plebis fieri posset,  
 Perturbatis (inquit) sacris, contaminatis gentibus, Et  
 quas deseruisti, Et quas poluisti. ait enim a Clodio gen-  
 tes contaminatas fuisse, quas deseruerat, Et polluerat,  
 cum in plebeiam familiam per adoptionem transiisset,  
 quæ gentem non habebat, sed stirpem tantum. Gentiles  
 igitur inter se uocabantur patricij, qui ex eadem essent  
 gente atque familia, Et qui eodem agnomine uterentur, ut  
 Cornelij inter se, Fabij, Valerij, Tulij, qui deinde  
 prænominibus distinguebantur. nam in Topicis ita Cice-  
 ro Gentiles definiit ex Mutij sententia; Gentes sunt, qui  
 eodem inter se nomine sunt, Et qui ab ingenis oriundi sunt,  
 Et quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit, Et qui ca-  
 pite minuti non sunt, merito ergo (inquit Alciatus) qui-  
 dam interpretatur gentiles clarioris familie agnatos, quin-  
 idem Cicero primo de Oratore gentem in patricijs esse, in  
 plebeijs stirpem aperte demonstrat, cum ita inquit; Quid? qua-  
 de re inter Marcellos et Claudios patricios centum uiri  
 iudicauerunt.



cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudij patricij eiusdē hominis hæreditatem gente ad se rediisse dicerem? nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis & gentilitatis iure dicendum? Existimans autem patricios illudius habuisse, ut cum aliqua caduca esset hæreditas excluso ærario cuiuslibet cognominis sui bona gentilicio iure ad se traherent. Ex quo facile potest intelligi, quæ essent hæreditates gentiliciæ, quibus (ut Suetonius scribit) Cæsarem Sylla multauit. nam in duodecim tabulis ea lex erat, si paterfamilias intestatus moritur familia pecuniæque eius agnatorum gentiumque esto. Nihil autem ad sanguinis uinculum gentilitas pertinebat, sed tantum ad nobilitatem & familiam, nam quicumque exempli gratia ex Fabiorum gente fuissent inter se gentiles dicebantur, atiam si nullo uel cognationis, uel affinitatis sanguine coniungerentur, unde Cicero primo Tusculanarum Questionum libro Seruium Tullium Romanorum Regem gentilem suum appellat, quod eodem nomine uocaretur, perinde quasi Tulliorum familia ex qua natus erat ipse Cicero gentilis ac patricia fuisset. Primo igitur in ipsa Romana ciuitate gentiles tantum inter se patricij, senatorumque filij uocabantur, postea uerò extra ciuitatem gentiles etiam alia significatione præsertim in iure ciuili dici cæpti sunt, illi, qui Romano imperio sub-

iecti

tecti non essent, quia non lege civili, sed iure gentium uterent. In sacris autē literis gentiles uocantur, qui Christianæ legi non parent, qui etiam pagani nominantur, propterea quod non sint Christi milites. nam in civili iure pagani dici solent ij, qui non militant, sed in pagis ac uillis res suas agunt.

## De Potestate atq; aucto- ritate Senatus. CAP. II.

**M**aximam uerò semper fuisse Romani Senatus potestatem atq; auctoritatem nemini profectò dubium esse potest: cum statim ab initio Romulus (ut Dio Lib. 2. scribit) posteaquam senatum ex centum illis patribus constituisset in eorum potestate esse uoluerit, ut omni de re, de qua Rex ipse retulisset, inter se consultarent, & quod eorum plurimis usum fuisset, id etiam Rex ipse sequeretur. quod non tantum in ciuitatis administratione sed in ijs etiam quæ ad belli gerendæ rationem pertinerent, diligenter obseruari uoluit. Itaq; iuris omnis publici potestas, atq; auctoritas deinde penes senatum semper fuit. quamuis enim populus Romanus, aut Tribuni plebis aliquid forte decernerent, & leges aliquas ferrent, non tamen illæ prius unquam ratæ habebantur, quàm senatus approbasset. Quis etiam ultra publici iuris adm-  
I nistratio

*nistrationem illa quatuor omnium grauissima atq; maxi-  
 ma semper ita senatus propria fuerunt, ut nunquam po-  
 pulus aut Tribuni plebis eis intercedere, uel adimere se-  
 I. natu conati fuerint; Primum ut legati ex huius unius or-  
 dinis auctoritate legerentur, qui uel pacis essent interpre-  
 tes, uel belli nuncijs, uel Reip. curatores, uel prouinciar-  
 lium munerum ministri, uel deniq; rerum omnium quas se-  
 natus ipse decreuisset liberè legationes obirent. *Alte-  
 II. rum, ut quibuscunq; uellet prouincias administrandas de-  
 mandaret, quæ tamen senatoribus tantum ipsis decerni  
 solebant, siue consulares essent, siue prætoriar. nam ita  
 Romani ueteres prouincias distinxerant, ut ex eis aliæ  
 consulares uel proconsulares, aliæ prætoriar, uel pro-  
 prætoriar dicerentur. & consulares quidem uel procon-  
 sulares illæ prouinciæ uocabantur, quæ tantum à consu-  
 libus uel proconsulibus administrari solebant, qualis fuit  
 Macedonia, Syria, Gallia, de quibus extat adhuc Lu-  
 culentissima Ciceronis oratio habita in senatu, quæ de  
 Prouincijs consularibus inscribitur. Prætoriar uero uel  
 proprætoriar dicebantur illæ prouinciæ, quas Præto-  
 res, uel proprætores administrabant, qualis Sicilia fuit,  
 & Sardinia, & Hispaniæ, & aliæ nonnullæ. Senatus  
 igitur hanc potestatem habebat, ut has omnes prouincias  
 etiam inuissu populi decerneret, & Consulibus atq; Præ-  
 toribus**

tortibus in prouincias exeuntibus Legatos & Quæstō-  
res daret. Quod si forte multī senatores atq; magistra-  
 tus eandem prouinciam peterent, sortes ducebantur, ne  
 cuiquam fieri uideretur iniuria, si alter ei præferretur.  
 atq; ita quæ cuiq; prouincia sorte obtigisset, eam admini-  
 strabat. Sæpe etiam senatus iussu Consules ita prouincias  
 sortiebantur, ut quot essent decernendæ singulæ suo ordi-  
 ne proponerentur, deinde omnium consularium si consu-  
 lares essent prouinciæ, uel prætoriorum si prætoricæ in  
 urnam nomina cōiicerent, & cuius nomen primum existi-  
 set, ille in prouinciam primo loco propositam mitteretur,  
 cuius secundum in secundam, atq; ita deinceps. Itaq; mul-  
 ti sæpe etiam inuiti quorum sortes existissent in prouincias  
 ire cogebantur, nisi forte senatus aliter censuisset. de hac  
 re Cicero primo ad Atticum libro ita scribit; Senatus  
decreuit, ut Consules duas Gallias sortirentur, dele-  
ctus haberetur, uocationes ne ualere, legati cum aucto-  
ritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, darent ope-  
ra ne hæc cū Heluetijs se iūgerent. Legati sunt Q. Me-  
tellus Creticus, et L. Flaccus, et τῶν ἐπιφανῶν μὲν, Lætulus  
Clodiæ filius, atq; hoc loco illud nō queo præterire, q; cū  
 de consularibus mea prima fors existet, una uoce senatus  
 frequēs retinendū me in urbe cēsuit. hoc idē post me Pō-  
peio accidit, ut nos duo quasi pignora Reip. retineri uide-

I 2 remur.

- III. Tertium, ut Imperatores ad bella gerenda, quos idoneos esse censeret, eos diligeret, atque etiam extra ordinem in provincias mitteret, nisi forte senatorum inter se sententiae discrepant, tunc enim ad populum provocabant, et quem populus aliquo Tribuno plebis legem ac rogationem ferente Imperatorem depoposcisset, eum senatus dabat, et auctoritate sua confirmabat. quod satis constat ex lege Manilij, quam Cicero polatissima illa Oratione, qua Cn. Pompeij laudes amplexus est, populo Romano suasse, ut Pompeius ad bellum contra Mithridatem gerendum mitteretur.
- IV. Quartum, ut aerarij dispensationem haberet, et pecunias publicas prout Reipub. necessitas postulare uideretur arbitrio suo erogaret. Itaque senatus et stipendia militibus, et uaticis legatis, et Imperatoribus sumptus ex aerario depromebat. nam Quaestores et urbani, et provinciales pecuniae publicae rationes ad senatum referebant, et uectigalia provinciarum, pecuniasque ex manubijs in aerarium deferri curabant. Erat autem Romanum aerarium in arce munatissima Capitolij, in aede Saturni constitutum. ubi non tantum pecuniae publicae, sed etiam leges, et senatusconsulta, et acta omnia publica diligentissime seruabantur. Aedem enim Saturni potissimum ad haec officia delegerant, quoniam Saturni tempore nullam in hominibus neque

que auariciam, neque improbitate fuisse memoriae proditi est. In eiusdem templi parte intima alterum erat avarium, quod sanctius dicebatur, in eo magna pecuniae uis prorsus intacta (quod ait Lilius) ad ultimos Reip. ca-  
 sus custodiebatur. haec omnia Cicero breuiter attingit in ea oratione, quam in Vatiniim habuit, qui senatus potestatem & auctoritatem labefactare conatus fuerat. sic enim ait, Ne haec quidem senatui relinquebas, quae nemo unquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legerentur? adeo ne tibi sordidum consilium publicum insum est? adeo afflictus senatus ut non nuncios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilij auctores, non ministros muneris prouincialis senatus more maiorum deligere posset? eripueras senatui prouinciae decernendae potestatem, imperatoris deligendi iudicium, avarij dispensationem, quae nunquam sibi populus Romanus appetiuit, qui nunquam ante summi consilij gubernationem auferre conatus est. Ex his intelligi facile potest, quanta esset, & quam longe lateque pateret senatus auctoritas. Nihil enim omnino quod alicuius esse momenti uideretur in Rep. sine auctoritate senatus agi poterat: & siquid esset actum, ab ipso senatu rescindebatur. Sed quamuis tam ingens esset huius ordinis potestas, nihil tamen de ciuibus Romanis iniussu populi decernere poterat, quod

Decad. 3. li. 6: ita Linius attestatu, ubi *Attulum Regulum loquentem facit*; *Per senatum agi de Campanis, qui ciues Romani sunt, iniussu populi non uideo posse.*

## De Principe Senatus.

### CAP. XII.

**H**uius tam uenerandi consilij princeps non perpetuus aliquis erat, sed quinto quoque anno per Censores unus eligebatur e senatorum numero, qui tam amplissimis honoribus, & rerum gestarum gloria magnopere florisset, atque omnium iustissimus & optimus haberetur. Qualem te Princeps integerrime sanctissimeque Paule Origoni ciuitas nostra iure optimo ueneratur, hoc saltem uno Romana ciuitate felicio, quod nequaquam eo timore premitur, ut post quintum annum sicut apud Romanos fieri consueuerat, ab isto principatu remoueas, sed te certum ac stabilem senatus nostri principem, & patronum suum, quoad tibi uita suppedabit, maximo cum gaudio, & animi iucunditate uidebit. Faxit Deus Opt. Max. ut longissimo tempore patria nostra tua ista incredibili bonitate sapientiaque perfruatur. Verum de senatus Romani Principis dignitate Plutarchus in P. Scipione Africano superiore scribit in hunc modum; Principem senatus Africanum legerunt, quod honoris

honoris genus ijs tantum deferri consuevit, qui auctoritatem & gloriam maximis in Remp. meritis præstantissimisq; rebus gestis esset antea consecutus. Neminem autem in senatus Principis locum eligi solitum accepimus nisi qui uel ex censorijs uiris natus maximus esset, uel qui cum esset consularis aut triumphalis senatui populoq; Romano gratissimus esse censeretur. Quod uero Censorum hoc officium ac munus esset, ut senatus principem eligerent *T. Lilius Decadis tertiæ libro nono perspicue docet his uerbis; Censores interim Romæ M. Lilius, & C. Claudius senatum recitauerunt, princeps eorum delectus M. Fabius Maximus. interdum etiam honoris & amplitudinis gratia idem uir si se optime gessisset, uerum, & tertium, & sæpius à Censoribus cum iustum conderetur, in senatus principatu confirmabatur, quod idem Lilius ita declarat; Censores T. Quintus Flaminius, & M. Claudius Marcellus senatum perlegerunt, princeps in senatu tertium Lectus P. Scipio Africanus. Plutarchus in Paulo Emilio scribit, à Paulo Emilio censore principem in senatu lectum fuisse M. Aemilium Lepidum, qui quater antea iam senatus princeps fuerat. Hoc tamen rarissime contingebat, & pauci (sicut ait Virgilius) — quos æquus amauit*

Decad. 3. li. 8.

*Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus*

*Dije*



*Dijs genti potuere. - quanti enim uiri est, ei præesse cõ filio, quod omnium sanctissimum grauissimumq; & re uera sit, & ab omnibus habeatur? cum enim senatus auctoritas Principibus etiam ipsis, & Regibus, atq; Imperatoribus quid agendum, quid fugiendum sit sapientissime iustissimãq; præscribat, quis non illum hominem tãquam numen aliquod ueneretur, qui principem in senatu locum obtineat? Quo magis atq; magis ipse mecum tuã sæpius Paule Origoni singularem ac propè diuinam mentis altitudinem admiror, qui in hoc senatu nostro Mediolanensi, qui licet imperij amplitudine ueteri illi Romano senatui sedat, fide tamen, & religione, & iustitia, & æquitate, & clementia, cæterisq; uirtutibus omnibus longe superior atq; præstantior est, tanto cum omnium assensu et approbatione. Caroli Quinti Imperatoris electione, uotis omnibus & ciuium nostrorum & senatorum suffragantibus, principatum affecutus es. In quo tam æqua Lance cuncta dispensas, ut æquitatis & sapientiæ tuæ nostris oculis quotidie noua lux oboriatur. Sed ad Romanos redeo. Plinius unã Fabiorum familiam præter cæteras admiratur, in qua, quod nulli unquam antea contingerat, tres continui principes senatus fuerunt, M. Fabius Ambustus, Fabius Rutilianus filius Q. Fabius Gurges nepos.*

*De officio*

## De Officio Senatus.

## CAP. XIII.

Cognita senatus auctoritate atq; potestate, nihil negotij est eiusdem etiam officium cognoscere, quod erat præcipuum in constituendo iure communi, statuq; ciuitatis, in prouincijs decernendis, in eligendis Imperatoribus, in mandandis exercitibus, in legationibus mittendis, & admittendis, in legibus ferendis & abrogandis, in foederibus factendis, siquid agendum esset de bello, siquid de pace sententiam ferre, supplicationes decernere, triumphos concedere, uel denegare. Consilio deniq; ac sapientia Remp. uniuersam regere, atq; gubernare. nihil enim penitus in administranda Rep. gerendoq; imperio nisi patrum auctoritate, & senatus consulto decerni poterat. Itaq; Cicero bonum senatorem publici consilij auctorem & moderatorem iure optimo uocat. Idem Cæcero tertio de Legibus libro tres leges ponit, quæ ad officium boni senatoris pertinent; Is ordo (inquit) uitio uacato, cæteris specimen esto, causas populi teneto. Cum enim primum omni uitio carere senatorem lex iubeat, ne ueniet quidem (ait) in eum ordinem quisquam uitij particeps Nam apud ueteres Romanos erat ea seueritas, ut etiam minima quæq; uitia castigarent. quod si quispiam

K senator

Senator uel exigua flagitij suspitione contaminatus esse iudicaretur, eum censores cum lustrum conderent, & senatum perlegerent, à senatu reijcebant, uolebant enim (ut lex præcipit) senatorium ordinem probitatis & continentiae cæteris uniuersis ciuibus specimen & exemplar esse. ut enim cupiditatibus principum, & uitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia. Quare perniciosius de Rep. merentur uitiosi principes, quod non solum uitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem. nam quale scunq; summi ciuitatis uiri sunt, talis etiam ciuitas esse solet. & quæcunq; mutatio morum in principibus existit, eadem in populo ferè subsequitur. uerum enim illud est quod Iuuenalis ait;

Omne animi uitium tanto conspectius in se.

Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Hoc igitur inter officia senatoris primum esse lex iubet ut diligentissimè caueat ne uitam suam aliquo uitio commaculet, sed omni penitus criminis suspitione careat.

Alterum ut cæteris ciuibus probitatis & integritatis specimen sit, & ita se publicè gerat, ut ne minimam quidem exemplo suo peccandi ciuibus occasionem præbeat.

Tertium, ut causas populi teneat. Est enim (ait Cicero) senatori necessarium nosse Remp. idq; latè patet, quid habeat militum, quid ualeat ærario, quos socios ha-

beat

beat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum, quod genus omne scientiæ diligentia memoriæ conseruatur, sine quo paratus esse senator nullo modo potest.

## De Ratione legendi Senatus. CAP. XIII.

SEd iam quærendum hoc loco mihi uidetur, quinam essent apud Romanos, qui ius & facultatem haberent senatores eligendi, principio quidem Reges ipsi senatum legebant, deinde Regibus exactis Consules, tum hoc munus & officium ad Censores delatum est, qui quinto quoque anno & eos, quos tanto honore dignos esse iudicarent, in senatum admitterent, & eos, qui aliquid offenderent, à senatu reijcerent. Interdum tamen etiam Dictatorem, & Triumuiros legendi senatus gratia creatos legimus. Ac primo quidem ciues tantum Romanos summa dignitate præditos, & amplis honoribus functos uel à Censoribus, uel à Dictatore, uel à Triumuiris, qui ius legendi senatus haberent, eligi solitos inuenimus, deinde per fauorem & gratiam ex equestri ordine minus etiam dignitum plebeij homines, qui gratiosi essent, & plurimum opibus ualere, habita census ratione,

K 2 sæpe

Lib. 9.3

sæpe lecti fuerunt, T. Livius auctor est, luctu publico  
 restatam Appij censuræ indignitatem, qui Libertinos  
 homines in senatum allegerat. Successu deinde temporis  
 etiam exteræ nationes iura senatorum in urbe caperunt  
 adipisci. Ac primi omnium Hedui Gallorum populi,  
 qui se fratres Romanorū esse prædicabāt, quod à Tro  
 ianis originem ducerent, quemadmodum etiam Romani,  
 in senatum admisi sunt, tum ex alijs etiam nationibus plu  
 rimi. Sed illud tamen semper observatum est, ut, qui in  
 senatum legebantur, prius equites essent Romani, & ali  
 quos in urbe magistratu gessissent. T. Livius Decadis  
 tertiæ libro secundo scribit, octoginta senatores, aut qui  
 eos magistratus gessisset, unde in senatum legi deberent,  
 cum sua uoluntate milites in legionibus facti essent, in can  
 nensi prælio fuisse interfectos, Idem Livius postea ter  
 tio libro eiusdem Decadis morem & consuetudinem le  
 gendi senatus egregiè describit, cum ait: patres post cæ  
 nensem cladem, solitudinem curiæ, paucitatemq; conue  
 nientium ad publicum consilium respexisse, quare Dicta  
 torem (inquit) qui censor ante fuisset, uetustissimusq; ex  
 his, qui uiuerent, censorijs esset, creari placuit, qui sena  
 tum legeret, acciriq; C. Terentium consulem ad Dicta  
 torem dicendum iusserunt, qui cum ex Apulia relicto  
 ibi præsidio magnis itineribus Romam redisset, nocte  
 proxima

proxima (ut mos erat) *M. Fabium Buteonem* ex senatusconsulto sine Magistro equitum Dictatorem in sex menses dixit. is ubi cum lictoribus in Rostra ascendit, recitato uetere senatu, inde primum ad demortuorum locum legit, qui post *L. Aemylum*, & *C. Flamintum* Censores curulem magistratum cepissent, necdum in senatum lecti essent, ut quisque eorum senator primum creatus erat, tum legit, qui aediles, tribuni, praetores, quaestoresue fuerant, tum ex his, qui spolia ex Romano hoste domi haberent, aut ciuicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione omnium in senatum lectis, ex templo se magistratu abdicauit. In his illud praeter caetera animaduersione dignum est, senatores multo ante creari solitos, quam in senatum legerentur. At uero postquam oppressa libertas Romana fuit, ipsi Caesares, quos uolebant, in senatum legebant, & *Augustus* quidem *Caesar* (ut antea demonstrauimus) ad pristinum splendorem senatum reuocauit. sed deinde subsequentes Imperatores pro libidine sua nibili senatoriam maiestatem facientes, iterum ordinem sanctissimum inquinarunt: donec *Vespasianus* aliquod huic tanto malo remedium attulit. nam (ut *Suetonius* scribit) amplissimum ordinem exhaustum uaria caede, & ueteri negligentia contaminatum purgauit, & honestissimo quoque

K 3 *Italicorum*

*Italicorum, & provincialium allecto suppleunt. A drt-  
nus Imperator non nisi spectata uirute, atq; nobilitate  
uiros unquam in senatum legit, & cum Arcennium ex  
præfecto prætorij senatorem faceret, dixit se nihil am-  
plius aut maius habere, quod in eum conferret.*

## De Habendo, vel cogen- do Senatu. CAP. XV.

**N**unc uidendum est, qui congregandi senatus, &  
consulendi potestatem haberent. neq; enim cuiusli-  
bet magistratus hoc erat officium. neq; perpetuo facile  
senatus haberi poterat. M. Varro in literis, quas ad  
Oppianum dedit, quæ sunt in libro Epistolicarum Quæ-  
stionum quarto (sicuti Gellius testatur) primum ponit,  
qui fuerint, per quos more maiorum senatus haberi sole-  
ret, eosq; nominat, Dictatores, Consules, Prætores,  
Tribunos plebis, Interregem, Præfectum urbis, neq;  
alii, præter hos ius fuisse dicit, facere senatusconsultum:  
quotiesq; usui uenisset, ut omnes isti magistratus eodem  
tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti sunt,  
qui eorū prior alijs esset, ei potissimū senatū cōsulendi ius  
fuisse. Ad addit deinde extraordinario iure Tribunos  
quoq; militares, qui pro Consulibus fuissent, item Decē-  
uiros, quibus imperium consulare tum esset, item Trium-  
uiros

viros Reip. cōstituendæ gratia creatos ius consulendi se-  
 patum habuisse. Cicero tertio de Legibus libro senatori  
 tria fuisse iussa scribit : primum ut uocatus adesset , nam  
 gravitatem res habet , cum frequens ordo est. Alterum  
 ut loco sententiam diceret , hoc est cum rogatus esset ab  
 eo , qui consulendi potestatem haberet. Tertium , ut mo-  
 do uteretur in dicendo , ne esset infinitus : nam breuitas  
 non modo senatoris , sed etiam oratoris magna laus est  
 in sententia . Ponit etiam ibidem hanc legem ; Senatori  
 qui necaderit , aut causa , aut culpa esto . pignus enim ca-  
 piebatur , & multa irrogabatur senatori , qui quo tempo-  
 re debebat , in senatum non uenisset . Cicero prima Phi-  
 lippica , Quid erat causæ , cur in senatum Hesternò  
 die tam acerbè cogerer ? solus ne aberam ? an non sæpe  
 minus frequenter fuistis ? an ea res agebatur , ut etiam  
 ægrotos deferri oporteret ? item , Quis autem unquam  
 tanto damno senatorem coëgit ? aut quid est ultra pignus  
 aut multam ? Sed tamen qui sexagesimum annum exce-  
 sissent senatores , inuiti ut uenirent , cogi non pote-  
 rant : quamuis boni senatoris semper habitum fuerit  
 in senatum frequenter uenire . Legimus Catones am-  
 bos , quamuis ualde senes essent , tamen in senatum  
 assidue uentre solitos . Duabus autem de causis co-  
 gi non poterant senatores ad ueniendum si nolissent ,  
 primo



primo cum de triumpho alicui concedendo uel denegando tractaretur, deinde cum supplicatio decernenda esset, quod prima Philippica Cicero sic inuit; De supplicationibus referebatur, quo in genere senatores deesse non solent coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia, quod idem fit, cum de triumpho refertur. Verum præter cæteros ordinarios magistratus, Consules potissimum cogendi senatum, & eisdem imperandi ut ueniret, aut ne discederet, facultatem habebant, quod tertiæ Decadis quinto libro sic T. Liuius ostendit. A deoq; in apparatus eius belli ciuitas intenta erat, ut P. Cornelius Consul ediceret, qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, quiq; in magistratu essent, nequis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset. De Tribunis plebis dubitatum est, an senatum congregandus haberent, & M. Varro, atq; Antistius Labeo non habere censuerunt, quamuis enim præbensionem haberent, uocationem tamen non habuisse existimant, sed usus & consuetudo Romanorum aliter obtinuit. nam sæpe legimus etiam à Tribunis plebis senatum fuisse congregatum. Cicero scribens ad Trebonium Epistolarum libro decimo sic ait; Nam cum Senatum ad XIII. Cal. Ian. Tribuni plebis uocauissent, deq; alia re referrent,

ferrent, totam Remp. sum complexus. Diebus uerò festis, & comitialibus, & ludis publicis senatus cogi non solebat. sic enim ad Quintum fratrem Cicero scribitur, consecuti sunt dies comitiales per quos senatus haberi non poterat. Quoties autem senatus habebatur uel legitimus, uel indictus dicebatur, ut Iulius Capitolinus in Gordianis, Non legitimo (inquit) sed indicto senatus die Consul iam domi conuentus. Suetonius in Augusto, sanxit ne plusquam bis in mense legitimus senatus ageretur Calendis, & Idibus. Spartianus in Adriano, senatui legitimo, cum in urbe esset, uel iuxta urbem semper interfuit. Indictus senatus uel edictus tunc uocabatur cum propter occurrentia negocia præter consuetudinem indicebatur. ut Suetonius in Cæsare. Postquã Senatus Idibus Martijs in Pompeij curiam edictus est. Qui uerò senatum habiturus esset, prius hostiam immolare, auspiciumq; capere consueuerat. Augustus Cæsar instituit, ut quisq; senator cum in curiam ingressus fuisset, antequam consideret, thure ac mero supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo senatus haberetur.

## De Loco Habendi Senatus.

CAP. XVI.

L. A.

**A**T uero quo maior esset in decernendis rebus sanctitas atque religio, tantum in locis per augures constitutis, quæ templa uocabantur, haberi senatus poterat. sic enim quasi in conspectu Deorum immortalium constituti senatores, cum sententias dicerent, maiori cum reuerentia quid agendum esset in Rep. sine ulla fraude aut malicia proferebant. Is autem locus quicumque fuisset, in quo senatus habebatur, à publicarum rerum cura curia uocabatur. Cicero libro de Finibus tertio, de M. Catone posteriore uerba faciens ait, eum scientiæ tam auidum fuisse ut etiam in ipsa curia legere soleret, dum senatus cogeretur. Multas autem curias, in quibus haberetur senatus, Romæ fuisse legimus. nam in curia etiam Hostilia, Pompeia, Iulia cum essent antea loca profana, templa fuerunt ab Auguribus constituta, ut in eis senatus consulta iusta ac legitima fieri possent. non tamen omnes ædes sacræ templa dicebantur, ut M. Varro testatur, sed tantum illæ, quæ per Augures essent auspiciato consecratæ. uarijs autem in templis congregari senatus consueuerat, quod ex antiquis scriptoribus haud difficulter intelligi potest, ut in Capitolio, in æde Iouis statitoris, in æde Castoris, in Apollinis æde, in æde Teluridis, in æde Concordiæ, in æde Bellonæ, & denique in ædibus omnibus augurato conduis, quæ templa dicebantur.

bantur. Cicero pro P. Sylla, cum in Capitolium nos senatum conuocauissemus. idem in Catone maiore, Senatum in ædem Iouis statoris uocauit, rem omnem ad Patres con. retuli. Idem Tertia in Verrem Actione, ausum esse in æde Castoris celeberrimo, clarissimoq; monumento, quod templum in oculis, quotidianoq; aspectu populi Romani est positum, quo sæpenuero senatus conuocatur, quo maximarum rerum frequentissimè quotidie aduocationes fiunt, in eo loco, in sermone hominum audacitæ suæ monumentū æternum relinquere. Cælius lib. Epistoliarū octauo, sed cum senatus habitus esset ad Apollinis, idē, in æde Apollinis scribendo affuerunt. Cicero prima Philippica, unum illum diem quo in æde Telluris senatus fuit, Læpidius cum senatus frequens in curiā, hoc est in ædem Concordiæ, templum inauguratum cōuenisset. in æde uero Bellonæ extra urbem senatus cogebatur, cum de triumpho aliquo esset agendum, aut cum exterarum gentium legati essent audiendī, quos in urbem ingredi nolebant T. Linius Decadis quintæ libro quinto sic ait; M. Popilius consul Romā redijt senatusq; ex tēplo in ædem Bellonæ est uocatus. Senaculum etiam dicebatur locus ubi senatus haberetur, et olim apud Romanos tria tantū fuere senacula, sicuti Festus tradit, postea diuersis temporibus uarijs in locis (ut diximus) sena-

L 2 culum

De senat. son.  
 los de repub  
 in lib. 1. de  
 de Bell. lib.  
 primo

culum fuit institutum. Proprius tamen curiæ locus, ubi frequentius quam in alijs senatus congregabatur, erat ædes concordiæ inter Capitolium & forum. ibi consules cum senatoribus de Rep. frequentissime deliberare consueverât. atq; ædem concordiæ potissimum delegerant, ut ostenderent nihil seditiosè, nihil turbulentè agendum esse in senatu, sed omnia tranquille, quietè, & concordibus animis, quæ Reip. profutura viderentur esse statuenda, qua de causa Cicero tertia Philippica uebementer & acriter M. Antonium insectatur his uerbis; Senatam stipauerit armatis, armatos in cella concordia cû senatum haberet, incluserit, & in secunda Philippica; cum inter subsellia nostra uersentur armati, cum in hac cella concordia (ô Dij immortales) in qua me consule salutare sententiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diem uiximus, cum gladijs homines collocati stent. Hanc cellam concordia, quæ curia frequentior erat, Cicero pro Milone uocat templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab uniuerso populo Romano concessam uni ordini. Frequenter etiam in Capitolio senatus habebatur, in æde Iouis optimi Maximi, qui Capitolinus appellabatur. Cicero in Lucullo, cum Carneades & Scotus Diogenes ad senatum in Capitolio starent. In summa quamuis

quamvis uarijs in locis cogeretur senatus, nusquam tamen nisi in locis augurato conditus, hoc est in templis, ut initio diximus, eum haberi licebat: nisi fortasse prodigium ali quod accidisset. nã (ut ait Plinius) Est frequens in pro- Li. 8. ca. 45.  
digijs priscorum bouem locutum, quo nunciato senatum sub dino haberi solitum.

## De Tempore Habendi

### Senatus. CAP. XVII.

**Q**uid? quod aliquid nocturno tempore decerne-  
re nefas esse iudicabant? uolebant enim quicquid  
ageretur ab hoc amplissimo sanctissimoq; ordine, id orto  
tam Sole, & clara luce fieri, sine ulla fraudis, aut doli  
suspensione, sine timore, sine odio aut beneuolentia; liberè  
securoq; animo, quod e Rep. uideretur esse constituere.  
neq; ullas omnino suis sententijs, & senatusconsultis late-  
bras querere. Quamobrem quod ante solis exortum, aut  
post eius occasum à senatu decretū fuisset, id M. Varo A. Gellius li.  
ro nullius fuisse ponderis, nullius auctoritatis ac momen- 14. cap. 7.  
ti scribit, atq; hoc censorum munus fuisse, ut diligentissime  
uiderent, per quos, & quo tempore factum esset senatus-  
consultum: ut nullum omnino ratum esse paterentur, nisi  
quod ab ijs esset factum, qui potestatem haberent, & eo  
tempore, quo leges, & instituta Romanorum fieri per-  
L 3 mittebant.

mittebant. Itaq; neq; *Festis diebus*, neq; *comitialibus*, neque *ludis publicis*, quicquam agi per *senatum* fas habebatur, sed tantum *diebus fastis*, quibus etiam *lege agere* cōcedebatur, nisi forte *res aliqua grauior accidisset*, tunc enim *insolitis etiam* & *uettitis diebus* conuocabatur *senatus*, quod ita *M. Cælius* indicat *Epistolarum* libro octauo ad *Ciceronem*, *De consularibus prouincijs* ad *senatū* referrent, neue quid prius ex *Cal. Mart.* neue quid cōiunctim de ea re referretur ad *Consulibus*: utiq; eius rei causa per *dies comitiales* *senatum* haberent. *senatusq;* *consultum* facerent. Nam cum grauius etiam & atrocius aliquod delictum commissum fuisset, fas esse censebant, *diebus etiam festis* iudicia exercere, & *extra ordinem* querere, quod ostendit *Cicero* pro *M. Cælio* statim in orationis principio, cum ita inquit, *Siquis Iudices* forte nunc adsit ignarus *legum*, *iudiciorū*, *consuetudinis nostræ*, miretur profecto quæ sit tāta atrocitas huiusce causæ, quod *diebus festis*, *ludisq;* *publicis*, omnibus *negocijs forensibus* intermissis, unum hoc iudicium exerceatur, nec dubitet quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto ciuitas stare non possit. idem cum audiat esse *legem*, quæ de *seditionis* *consceleratisq;* *ciuibus*, qui *armati* *senatum* obfederint, *magistratibus* uim attulerint, *Remp.* oppugnant, *quotidie* queri iubeat, *legem* non improbet, & reliqua,

liqua, uacabat præterea senatus ab Idibus sext. per tres  
ferè menses ad Nouembrem usq; mensẽ, quod ostendit  
Suetonius in Augusto.

## De Rogandis sententiis

### CAP. XVIII.

**Q**VI Senatũ congregabant, ijdem etiam de  
rebus, quæ ad Senatũ referrentur, senten-  
tias rogare solebant. sed mos rogandi sententiam non  
semper unus atque idem fuit. uerum pro eorum arbitrio,  
qui coëgissent consulendi gratia senatores frequenter ua-  
riari solitus est. Atq; ab initio quidem fuit ea consuetu-  
do, ut qui priores in senatũ à censoribus lecti fuissent,  
ij priore etiam loco rogati sententiam dicerent. interdum  
ætatis ratio habita fuit, ut quo quisq; natu grandior es-  
set, eo prior sententiam rogaretur. quod libro de Senec-  
tute Cicero testatur. sæpe etiam qui designati consules  
erant, primi rogabantur quod Sallustius in Catilinæ  
coniuratione sic ostendit; Tunc D. Iunius Syllanus,  
primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul de-  
signatus erat, usu deinde factum est, ut in arbitrio con-  
sulis esset, quem primum rogare uellet, quem secun-  
dum, quem tertium. non tamen alium quam consularẽ uirũ  
primo loco rogari fas esse censebãt. C. Cæsar in cõsulatu,  
quem





quem cum Bibulo gessit, tres extra ordinem rogasse dicitur, M. Crassum, Cn. Pompeium, & M. Catonem, sed postquam filiam suam in matrimonium Pompeio dedit, eum deinde semper primo loco rogare cepit, eum antea M. Crassum rogare consuevisset. Idem Caesar consul (ut Attius Capito scriptum reliquit) M. Catonem sententiam rogavit, Cato rem, quæ consulebatur, quoniam nõ è Rep. videbatur, perfici volebat, eius rei gratia ducẽda, longa oratione utebatur, eximebatq; dicendo diem. erat enim tus senatori, ut sententiam rogatus, diceret ante quicquid uellet de alia re, & quoad uellet, Caesar consul uiatorem uocauit, eumq; cum finem nõ faceret, prehendẽ loquentem & in carcerem duci iussit, senatus consurrexit, & prosequabatur Catonem in carcerem. hac inuidia facta Caesar desistit, & mitti Catonem iussit. Dionysius Halicarnasæus libro septimo tradit morem fuisse Romanis, ut senatores natu maximi primo loco sententiam dicerent, deinde qui media ætate essent. postremo iuuenes. hanc autem consuetudinem, ut seniores priore loco uerba facerent antiquissimam fuisse declarat Homerus cū multis alijs in locis, tum odysseæ libro secundo, ubi de sene quodam Aegypcio sic ait, ut nos uertimus.

*Ante alios cœpit sic fari Aegypcius heros.*

*Qui*

Qui tum curuus erat senio, tum plurima norat.

Cicero primo libro ad Atticum subtrasci uidetur, quod a M. Pisone Consule primus ipse non esset rogatus sententiam, sic enim ait; Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, præpositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque ad murmurante senatu, neque me inuito esse factum. Sum enim et ab obseruando homine peruerso liber, et ad dignitatem in Rep. retinendam contra illius uoluntatem solutus. et ille secundus in dicendo locus, habet auctoritatem penè principis. et uoluntatem non nimis deuinctam beneficio consulis. T. Liuius primo libro ponit formam interrogandi senatum de bello faciendo, qua præsci Romani utebantur, ubi loquitur de Ancō Martio Romanorū Rege, sic enim ait; Confestim Rex ex his ferme uerbis patres consulabat; Quarum rerum, liuium, causarum condixit Patres patratus populi Romani Quiritium Patri patrato præscorum Latinorum, hominibusque præscis Latinis, quas res nec dederunt, nec soluerunt, nec fecerunt quas res dari, fieri, solui oportuit, dic (inquit ei, quem primum sententiam rogabat) quid censes? tum ille. Puro proque duello quærendas censeo, itaque consentio, consciscoque. Inde ordine alij rogabantur, quandoque pars maior eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat con-

M sensu

sensu fieri solitum. Neq; illud mihi prætermittendum esse videtur, quod quicumq; rogatus sententiã fuisset, quamvis summæ auctoritatis uir esset, atq; amplissimis honoribus functus, nunquã tamen sedens loquebatur, sed exurgebat, & stando sententiam dicebat, cum uero sermonem suum absoluisset, tunc iterum in loco suo confidebat. *M.* Antonius libro de Oratore secundo, in quo (inquit) mirari soleo, nõ equidem istos, qui nullã huic rei operã dederunt, sed hominẽ in primis disertum atq; eruditũ Philippũ, qui ita solet ad dicendũ surgere, ut quod primum uerbum habiturus sit, nesciat. pro *A.* Cluëtio, hic ego cã ad respondendũ surrexi, qua cura *Dij* immortales, qua solitudine animi, quo timore? *Virgilius de Drãce lib. decimo.*

*Surgit, & bis onerat dictis, atq; aggerat iras.*

*Quidius ad hunc morem respexit decimo tertio Metamorphosis, ubi iudicium armorum Achillis describit;*

*Confedere duces & uulgi stante corona*

*Surgit ad hos dominus clypei septemplex Ajax.*

*Homerus in Heroum concilijs ipsos etiam Reges, cum sententiam dicturi sunt, alijs sedentibus surgentes facit, & perpetuo stãtes dũ loquũtur. ut primo Iliadis Agamemnonem amplissimum Regem ait in Græcorum concilio surrexisse, ut contra Chalcantem diceret, & postea Nestorem sapientissimum senem eodem modo surrexisse,*

*ut inter*

ut inter *Achillem* & *Agamemnon* licet componeret. sic igitur etiam Romani patres, quamvis essent consulares, & triumphales rogati sententiam surgebant, & stantes orationem habebant, quod si quis forte non rogatus, aliquid in senatu dicere uoluisset, prius eum à consule, uel ab eo, qui senatum coegerat, ueniam petere oportebat. quæ tamen non concedebatur, nisi postquam rogati essent illi, qui priorem dicendi locum haberent: nam primus locus sententiæ dicendæ consularis erat, secundus prætorius, tertius ædilicius, quartus quæstorius. Itaq; primū rogabatur illi, qui cōsules fuissent, deinde qui prætores, tū qui ædiles atq; ita deinceps. Cicero quinta Philippica sic decernit; ob eas causas senatum placere C. Cæsare C. F. Pōt. propr. senatorē esse, sententiā loco prætorio dicere.

## De Sententia diuidenda.

### CAP. XIX.

**Q**uotiescunq; senator aliquis indicenda sententiā duas pluresue res cōplecteretur (ut ait *Asconius*) si nō omnes hæ res probarentur, postulari solebat, ut sententia diuideretur, id est ut de singulis rebus seorsum referretur, quò pars una si uisam fuisset, repudraretur, altera reciperetur. Cicero pro *Milone*, q; si per *furiū* illum *Tribunū* senatus, quod sentiebat, perficere licuisset,

M 2. nouam

novam quaestionem nunc nullam haberemus, decernebat  
 enim ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaeretur.  
 Divisa sententia est, postulante nescio quo, nihil enim necesse est,  
 me omnium flagitia proferre, sic reliqua auctoritas senatus  
 empti intercessione sublata est. quibus verbis intelligitur id,  
 quod decernebat senatus de P. Clodij caede, duas res complexurum fuisse,  
 unam ut quaeretur veteribus legibus, alteram ut extra ordinem.  
 atque ita fuisse divisum, ut prior pars repudiaretur, id est,  
 ut non quaeretur veteribus legibus, sed nova quaestio fieret,  
 altera pars reciperetur, hoc est, ut extra ordinem quaeretur.  
 Plinius in Epistolis, illud etiam mihi permirum videbatur,  
 eum quidem qui libertos relegandos, servos supplicio afficiendos  
 censuisset, coactum esse dividere sententiam. hoc est, ut seorsum  
 de Libertis et seorsum de servis referret. Cicero primo Epistolarum  
 Postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur, quatenus de  
 religione dicebat, et rei, quia iam obsisti non poterat,  
 Bibulo assensum est, de tribus legatis, frequentes ierunt in  
 alia omnia. Nam sententia Bibuli senatoris duas res complectebatur:  
 unam ut Rex Aegypti Ptolemæus in regnum suum sine exercitu  
 reduceretur, quod ex libris Sybillinis præcipi videbatur;  
 alterum, ut tres legati regem reducerent. Postulatum igitur est, ut ex  
 sententia dividere

diuideretur : atq; ita in priori parte sententiæ (inquit Ci-  
cero) Bibulo assensum est, quia cum religione conuenie-  
bat, quæ tollebat exercitum : & hæc res frequenti sena-  
tui placebat. in altera parte eadem Bibuli sententia fuit  
improbata : quia senatus non placuit, ut tres legati regē  
reducerent. Nam quoties alicui rei senatus non assentie-  
batur, dicebatur. Ire in alia omnia ; ut Epistolarum li-  
bro decimo ad Plancum scribens Cicero ; Eum senatus  
reliquit, & in alia omnia discessit. Publicus enim mini-  
ster, cum per discessionem senatus confutum erat facien-  
dum ita senatus uoce præibat ; Qui hoc censetis illuc trā-  
sire, qui alia omnia, in hanc partem. dicebat autem in alia  
omnia, potius quā in contraria boni omnis causa, ut Fe-  
stus auctor est, cuius sunt hæc uerba ; Qui hoc censetis  
illuc transire, qui alia omnia, in hanc partem, his uerbis  
præit omnis uidelicet causa, ne dicat, qui non censetis.  
Inde factum est ut, ire in alia omnia, idem significet,  
quod dis dissentire, & alicuius sententiam improbare. quod  
præter Ciceronem etiā A. Hirthus circa finem octa-  
ui libri de bello Gallico sic usurpat ; Discessionem fa-  
ciente Marcello, senatus frequens in alia omnia transijt.  
hoc est, alia potius omnia probauit, quam quæ Mar-  
cel-  
lus uolebat.

M 3 De Sen

## De Senatusconsultis.

## C A P. X X.

**S**ed nullum unquam maius Ingeniorum theatrum fuisse certum atq; exploratum est, quam antiquus ille senatus Romanus fuerit: ubi de maximis & grauisissimis rebus, non ad unius tantum urbis, aut regionis administrationem pertinentibus, sed ad totius pene terrarum orbis frequenter agebatur. Ibi mētis acumen, & ingenij præstantia maximè lucebat, ibi sententiam rogatorum in respondendo ac discernendo perspicuè prudentia sapientiæq; uidebatur, ibi tanquam in speculo quodam lucidissimo cuiusq; mens, animus, uoluntas, cupiditas aperte conspiciæbatur. liberum enim erat, & concessum omnibus suo loco, quid de Rep sentirent, etiam contra omnium aliorū sententias enunciare. multi etiam eam habebant potestatem, ut intercederent, ne senatusconsulta fierent. Quare, quæ tandem senatusconsulta perscribebantur, & asseruabantur, ea non aliter atq; sacrosanctæ leges habebantur. Tribus autem modis obseruauimus senatusconsulta confirmari, atq; approbari solita; hoc est, uel per sententiæ dictionem, uel per discessionem, uel per manus porrectionem, quod Vopiscus de Aureliano loquens ita ostendit; Deinde alijs manum porrigentibus, alijs pedibus

pedibus in sententiam euntibus, plerisque uerbo consentientibus, conditum est senatusconsultum. Illud etiam sæpe fieri solebat, ut cum de re aliqua grauiſſima senatus erat futurus multi senatores domi sententias suas scriberent, quas deinde in senatu de scripto recitarent. quod Cicero libro *Epistolarum* decimo scribens ad Plancum ita confirmat; Id ex ipso senatusconsulto poteris cognoscere. ita enim est perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est, quam senatus frequens secutus est summo studio. Nonnunquam etiam semel facta & confirmata senatusconsulta delebantur, & abrogabantur, quæ quidem abrogatio, dicebatur inductio senatusconsulti, propterea quod inducto in ceram aut membranam stylo, deleteretur. Cicero primo ad *Atticum* libro, inducendi senatusconsulti maturitas nondum est: quod neque sunt, qui querantur; & multi partim maleuolentia, partim opinione æquitatis delectantur. Suetonius in *Cæsare*, *Amplissimis* uerbis collaudatum integrum restituit, inducto priori decreto. sic etiam inducere locationem, pro eo, quod est delere, ueteres dicebant. Cicero ad *Atticum* primo libro; *Asiani*, qui de Censoribus conduxerunt, questi sunt in Senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, ut induceretur locatio postulauerunt. *M. Varro* scribit, Senatusconsulta fieri duobus



duobus modis, aut per discessionem si consentiretur; aut si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas. singulos autem (ait) debere consulti gradatim. Quo ex Varronis loco apparet tertius ille modus, manum porrigendi, de quo Propiscus ait, post ipsius Varronis tempora per consuetudinem in senatum fuisse introductum. Suetonius in Tiberio sic ait; cum senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, secutus est nemo. Tullius Capitolinus auctor est, uno die, duo senatusconsulta prescribi non licuisse. Varro (ut ait Gellius) de intercessionibus scripsit, dixitque, intercedendi, ne senatusconsultum fieret, ius ijs solis fuisse, qui essent eadem potestate, qua ijs, qui senatusconsultum facere uellent, maiores ne essent. Apud antiquos etiam Tribuni plebis intercedendi ius habebant, ne senatusconsulta prescriberentur, quamuis in senatum introire non possent, de qua re Valerius Max. ita scribit; Tribuni plebis intrare in curiam non licebat, ante ualuas autem positus subsellijs decreta patrum attentissima cura examinabant, ut supra ex ijs improbassent, rata esse non stinerent. Itaque ueteribus senatusconsultis. T. littera subscribi solebat, eaque nota significabatur, illa Tribunos quoque censuisse. Lex etiam erat a Cornelio quodam lata, quae ideo Cornelia diceba-

atur,

tur, qua senatusconsultum fieri uetebatur, ut quis à sena-  
 tu legibus solueretur (ut *A* sconius scribit) nisi ducenti  
 senatores affuissent. Atq; initio quidem omnia senatus-  
 consulta Consulum arbitrio uel supprimebantur, uel enun-  
 ciabantur. Sed postea *L. Valerius* & *M. Horatius*  
 consules instituerunt, ut cum primum essent facta at-  
 que confirmata senatusconsulta confestim in ædem Cere-  
 ris ad ædiles plebeios deferrentur, nec amplius essent in  
 senatus potestate, quam rem *T. Ltuus* ita scribit. In-  
 stitutum est etiam ab iisdem Consulibus, ut senatusconsul-  
 ta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur, que  
 ante arbitrio consulum supprimebantur, enunciabanturq;. Lib. 30.  
 Successu deinde temporis constitutum est, ut ad ærarium  
 senatusconsulta deportarentur, & ibi seruariantur, ubi  
 etiam leges, & acta omnia publica diligenter asseruabã-  
 tur. Cicero quinta Philippica; Senatusconsulta tanquam  
 facta ad ærarium referebantur. Suetonius in *Augusto*  
 ita scribit; Auctor est. *Iulius Marathus* ante pau-  
 cos quam nasceretur menses prodigium Romæ factum  
 publice, quo denunciabatur Regem populo Romano na-  
 turam parturire, senatum exterritum sensuisse, nequis eo  
 anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores ha-  
 berent, quod ad se quisq; spem traberet, curasse ne sena-  
 tusconsultum ad ærarium referretur. Fuerunt etiã quæ-  
 dam

N dam

dam senatusconsulta, quæ tacita vocabantur, ut Iulius Capitolinus in Gordianis ait: ea fiebant remotis omnibus ministris & personis, quæ non essent senatoriæ. atq; ipsimet suis manibus senatores ea perscribent, & custodiebant. Quæ uero forma dicendi, & qui modus in perscribendis senatusconsultis obseruari soleret, ostendit in Philippicis ipse Cicero, ubi nonnulla ponit senatusconsultorum exempla, quorum è numero tria mihi libet hoc loco adscribere, quoniam antiquitatis miram præ se maiestatem ferunt, & ueterem consuetudinem decernendi continent. duo sunt in quinta Philippica, quorum unum ita perscriptum est; cum à M. Lepido Imp. Pont. Max. sæpenumero Resp. & bene & feliciter gesta sit, populus Romanus intellexerit ei dominatum regnum maxime displicere, cumq; eius opera, uirtute, consilio, singulariq; clementia & mansuetudine bellum acerbissimum ciuile sit restinctum, sextusq; Pompeius Cn. filius Magnus huius ordinis auctoritate ab armis discesserit, & à M. Lepido Imp. Pont. Max. summa senatus populiq; R. uoluntate ciuitati restitutus sit, ita decretum est; senatum populūq; Romanum pro maximis, plurimisq; in Remp. M. Lepidi meritis magnam spem in eius uirtute, auctoritate, felicitate reponere ocij, pacis, concordie, libertatis. eiusq; in Remp. meritorum senatū populūq; R. me-

morem

morem fore, eiq; statuam equestrem inauratã in Rostris, aut quo alto loco in foro uellet, è senatus sententia statui placere. Alterũ ita; quod C. Cæsar C. F. Põr. prop. summo Reip. tẽpore milites ueteranos ad libertatem populi R. cohortatus sit, eosq; conscripserit; quodq; legio Martia, quartaq; summo studio, optimoq; in Remp. consensu C. Cæsare duce & auctore Remp. libertatem populi R. defendãt, defenderint, et quod C. Cæsar Prop. Gallie Prouinciæ cum exercitu præsidio profectus sit, equites, sagittarios, elephantos in suã populiq; R. potestatem redegerit, difficillimoq; Reip. tempore saluti, dignitatiq; populi R. subuenerit, ob eas causas ita decretũ est, senatui placere C. Cæsare C. F. Põr. Propr. senatorẽ esse, sententiãq; loco prætorio dicere, eiusq; rationẽ, quacũq; appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret si anno superiore Quæstor fuisset. Tertũ longe pulcherrimum in nona Philippica de Ser. Sulpitio, ita per scriptum est; Cum Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus, difficillimo Reip. tẽpore, graui, periculosiq; morbo affectus auctoritatẽ senatus, salutẽq; populi R. uitæ suæ proposuerit, contraq; uim grauitatemq; morbi contenderit, ut ad castra Amonij, quo senatus eũ miserat, perueniret, isq; cũ iam prope castra uenisset, ui morbi oppressus uitã amiserit, in maximo Reipub. munere: eiusq; mors consentanea uitæ

N 2 fuerit

fuerit sanctissime honestissimeq; actie, in qua sepe me-  
 gno usit Reip. Ser. Sulpitius & privatus, & in magi-  
 stratibus fuerit: cū talis uir ob Remp. in legatione mor-  
 tem obierit, ita decreum est; Senatui placere Ser. Suly-  
 pitio statuam pedestrem æneam in Rostris statui, cir-  
 cūq; eam statuam locum gladiatoribus ludisq; liberos po-  
 sterorūq; eius quāq; uersus pedes quinq; habere, quod is ob  
 Remp. mortem obierit, eamq; causam in basi inscribi,  
 utq; C. Pansa, A. Herennius consules, alter, ambo ue-  
 stis eis uidebitur, Quæstoribus urbanis imperent, ut eam  
 basim statuamq; faciendam, & in Rostris statuendam  
 locent, quantūq; locarint, tantam pecuniam redemptori  
 soluendam, attribuendamq; curent: cumq; antea senatus  
 auctoritatem in uirorum fortium funeribus ornamentisq;  
 ostenderit, placere, eum quam amplissime supremo die  
 suo efferrī: & cum Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia  
 Rufus ita de Rep. meritis sit, ut his ornamentis deco-  
 rari debeat, senatum censere, atq; e Rep. existimare  
 A. ediles Cærules edictum, quod de funeribus habeant  
 Ser. Sulpitij Q. F. Lemonia Rufi funeri mittere,  
 utq; locum sepulchro in Campo Exquilino, C. Pansa  
 Consul, seu quo in loco uidetur, pedes triginta quoquo  
 uersus assignet, quo Ser. Sulpitius inferatur: quod se-  
 pulchram ipsius, liberorum, posterorumq; eius sic, uti  
 quod

quod optimo iure sepulchrum publicè datum est.

## De Iudiciis.

### CAP. XXI.

**D**E Iudicijs non est quod hoc loco multa differamus, tum quia non semper senatus propria fuerit, licet initio soli senatores iudicarent, nam postea cum equitibus Romanis, & Tribunis ærarijs communicata est iudicandi potestas, tum quia seorsum in alio volumine de illis copiosius tractare constitimus. Illud igitur tantum in præsentia dicam, apud Romanos duo fuisse iudiciorum genera, quorum alterum publicum dicebatur, alterum privatum. & privata quidem iudicia certam formulam habebant, atq; apud centumviros agitabantur, unde etiã centumviralia dicta sunt. Cum enim essent Romæ triginta quinq; tribus, terni ex singulis tribubus erant electi ad iudicium rerum privatarum, qui licet quinq; plures centum essent, tamen ut facilius nominarentur, centumviri sunt appellati, & causæ, quas tractabant centumvirales nominatae, de quibus primo de Oratore multa Cicero. & centumviri quidem hasta in foro posita iudicabant. id erat signum fastorum dierum, ut qui hastam in foro positam uideret, is sciret eo die centumviralia iudicia exerceri. Publica vero iudicia apud concilium iudicum fiebant,

N 3 quos

quos Prætor uel qui iudicio præerat ex equestri & senatorio ordine sortiebatur, et si qui forte uel à reo, uel ab accusatore reiecti fuissent, idem Prætor alios iterum in reiectorum locum subsortiebatur, donec iustus ac legitimus muneris constituèretur. Atq; hi proprio nomine Iudices dicti, & in decurias distributi erant, omnesq; trigessimum quintum annum excedebant, neq; enim ante illam ætatem cuiquam licebat Iudicem fieri. hæc autem publica iudicia ferè de maleficijs cõstuebantur, ut Actiões in Verrem Repetundarum, pro Milone de cæde, pro C. Rabirio perduellionis reo, atq; ita de alijs. Ipsis uero iudicibus singulis, antequam in concilium irent, tria sigilla dabantur, quorum in primo insculpta erat litera salutaris A. quæ erat absolutionis nota, in altero litera tristis C. quæ condemnationis signum erat, in tertio duæ literæ N. L. quæ significabant non liquere, atque hæc erat nota ampliatiõis. Iudices igitur cum accusatores, & patronos audiissent, poterant arbitrio suo uel absoluerè, uel condemnare, uel reum comperendinare. nam tabellæ ceratæ circumferrebantur, ut in eis iudices sigillis datis, quas uellent literas imprimerent. postea uero signa illa tabulis impressa numerabantur, quod si plures fuissent absolutionis notæ quam condemnationis statim reus absoluebatur, & contra si literæ tristes numero uicissent,

nticissent, condemnabatur. Cicero pro Milone, Quod nisi uidiſſet poſſe abſolut eum, qui fateretur, cum uideret nos futeri, nec quæri unquam uifiſſet, nec nobis tam ſalutarem hanc in iudicando literam, quam illam triſtem dediſſet. ſolebant etiam antiquo tempore iudices in iudicâdo calculos in urnam conijcere, nam ſingulis iudiciibus duo calculi dabantur, alter candidus, alter uero niger, & candido quidem abſoluebant, nigro autem condemna- bant, quod Ouidius libro Metamorphoſis decimo quin- to ſic ait;

*Mos erat antiquis utuets, atrisq; lapillis*

*His damnare reos, illis abſoluere culpa.*

*Tum quoq; ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis.*

*Calculus immitem demittitur ater in urnam.*

Alcibiades cum iudicium ſubterfugeret, dixit ſe, ne ma- tri quidem conſidere uelle, ne forte per errorem calculi nigrum, pro candido in urnam conijceret. Pythagoras aiebat ea, quæ candido colore ſunt, ad naturam boni pertinere, quæ nigro ad mali naturam, unde quæ felicia ſunt, candida atque alba dicuntur. Verum (ut initio dixi) de Iudicijs alijs plura. Nunc illud etiam mihi tanquam corollarium quoddam adijciendum uide- tur, quod eſt maxime memorabile, & ſenatoribus at- que iudicibus ſumma cum diligentia aduertendum. Nam

*Thebani*



*Thebani senatum ita pingere cōsueverant, ut grauiſſimos quosdam homines, et affectu uenerabiles formarent. qui in hemicyclus sedentes ante altaria Deorū immortalium positi eſſent. nullasq; omnino manus haberent. in quorum medio sederet eua ipse princeps oculis captus, atq; cæcus. Quā optimi senatus descriptionem ac picturam Alcianus noster in Emblematis suis ad hunc mo-  
terpretatur.*

*Effigies manibus truncæ ante altaria Diuū*

*Hic resident, quarum lumine capta prior.*

*Signa potestatis summae, sanctiq; Senatus*

*Thebanis fuerant ista reperia. Viris.*

*Cur resident? quia mente graues decet esse quæta:*

*Iuridicos, animo nec uertare leui.*

*Cur sine sunt manibus? captant ne xenia, nec se*

*Politicis flecti, numeribus ut sinant.*

*Cæcus at est princeps, quod solis auribus, absq;*

*Affectu constans iussa senatus agit.*

## De Notacensoria contra

Senatores. CAP. XXII.

*Senatorium ordinem omni penitus uitio uacare, neq; ſicuti grauioribus et atroci pœna dignis criminibus, sed his etiã leuioribus et uulgo fere cōceſſis carere oportere*

vere veteres Romani censuerunt. Itaque cum intelligerent maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem, uoluerunt censes, qui moribus erant præpositi, non minorem in senatores, quam in alios ciues Romanos potestatem habere. Et grauius etiam peccantem senatorem, quam equitem aut plebeum castigare. Nam propter leuiusculum etiam peccatum censes è senatu quemuis magnum senatorem eiciebant. Siquidem Fabricius censor (ut scribit Linius, P. Cornelium Ruffinum consularem senatu Lib. 14. mouit, non alia de causa, nisi quod decem argenti pondo facti haberet. Erat autem censura (ut Plutarchus ait) omnium magistratum maxime reuerentiæ, plurimamque In Paulo Aemilio. potestatis, cum in alijs rebus, tum maxime ad morum emendationem. nam à senatu (inquit) remouere inuictos potest, legere principem, equos auferre, notare infamia, censam agere, lustrum condere. A sconijs Pedianus in Diuinatione Ciceronis contra Verrem sic ait; Regendis moribus ciuitatis censes quinto quoque anno creant solebant, hi prorsus ciues sic notabant, ut qui senator esset, eiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet, qui in plebetus in Ceritum tabulas referretur, et ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, scilicet ad hoc ut esset ciuis, sed tantum modo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Cum

O igitur

Lib. 29.

igitur Censores senatum legerent, quod quinto quoque anno fieri solebat (ut supra demonstrauimus) semper fere aliquos à senatu reiciebant. Nam M. Porcius, & L. Valerius Censores (ut ait Lilius) in legendo senatu septem senatores mouerunt, ex quibus unum insignem & nobilitate, & honoribus L. Quintum Flaminius consularem, quòd scorti suastione hominem Placentinum securi percussisset. Patrum memoria (inquit) institutum fertur, ut Censores motis è senatu adscriberent notas. Cn. Lentulus, & L. Gellius censores asperam censuram egerunt quatuor & sexaginta senatu motis. Cicero pro Domo sua ita inquit; C. Attinius patrū memoria bona Q. Metelli, qui eum ex senatu censor reiecerat, cui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proau tui L. Scipio consecraute foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. Cassius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem à senatu motus nec restitutus est, iudicare, uel testimonium dicere; quia Lex Iulia Repeñdarum hæc fieri uetat.

L. 2. ff. de Sen.

## De Senatu muliebri.

### CAP. XXIII.

**N**ullum est monstrum genus, quod non longa ætas aliquando protulerit. quamuis enim apud Romanos

nos

nos antiquis legibus cautum fuerit, ut foeminae semper ab omnibus officijs ciuilibus remouerentur, & neq; iudicare, neque magistratum ullum gerere, nec in Senatum uenire possent: tandem improbissimus omnium principum, & effoeminatissimus Heliogabalus uariis quod die primum senatum habuit matrem suam Symiamiram in senatu sedere, & sententiam dicere uoluit. quae deinde semper uocata ad consulum subsellia sonatusconsultis omnibus interfuit, & sententiam consulari loco dixit. Atque hic solus Imperatorum fuit, sub quo mulier loco utri senatum ingressa est. nam Messae etiam uariae aetate suae concessit, ut in senatu sederet, Patres Consularet, sententiam diceret, caeteraq; omnium senatorum munia obiret. Quin etiam idem Heliogabalus in colle Quirinali senaculum muliebre fecit, idest mulierum senatum, quo in loco matronarum conuentus antea fuerat solennibus tantum & sacris diebus. In eo senatu Symiamira Princeps Heliogabali mater una cum filio multa ridicula de Legibus matronarum senatusconsulta fecit: ut quo uestitu quaeq; mulier uteretur, quae cui cederet, quae ad cuius osculum ueniret, quae pileto uti deberet, quae equo ueberetur, quae asino, quae carpento mularum, quae bouum, & cui argentea esset, aut eburnea

O 2 sella,

fella, quæ aurum, uel gemmas in calciamentis haberet  
 multa; huius generis muliebria decreta. Sed hæc (ut di-  
 xi) ridicula fuerunt, illa uero perniciosissima, quod impu-  
 dicissima mulier, et digna filio, omnium hominum spurcissimo  
 frequens in senatum uirorum ueniebat, et arbitrio suo plurima  
 statuebat. Quæ uita necisque potestate in omnes Romanos ciues  
 habebat, multosque uel leuissima de causa necandos trucidan-  
 dosque denotabat, uerum tandem una cum impurissimo filio tru-  
 cidata poenas debitas luit. Post cuius mortem ante omnia  
 cautum est, ne ulla unquam mulier senatum ingredere-  
 tur, sicuti neque antea consueuerat. quamuis apud exterarum  
 nationes legimus interdum etiam foeminas publicis consi-  
 lijs interesse solitas. Tradunt enim Xersem Persarum  
 Regem sæpe Artemistam Carie reginam in consilium  
 admisisse, et eius sententiam secutum fuisse. Lacedæmo-  
 nij publicis consilijs foeminas admittabant, et earum ar-  
 bitrio plurima stabant. Germani foeminarum olim con-  
 silio regebantur, quas non aliter atque deas colebant. Gab-  
 li in foedere, quod cum Annibale percusserunt, ad in-  
 primis cautum esse uoluerunt, ut si qua lis aut contentio  
 Carthaginensi homini cum Gallo intercederet, eius rei  
 iudicium penes Gallicas mulieres esset, sed multo sapien-  
 tius Romani propter naturæ imbecillitatem, et imper-  
 fectionem, nihil omnino foeminas tractare aut agere uolue-  
 runt.

vult, quod ad Rēp. pertinere uideretur, atq; ideo illas ab  
 oibus ciuilibus officijs ponitur remouendas esse censuerit.

## De Senatu Dimittendo.

### C A P. XXIII.

**Q**ui cogendi Senatum potestatem habebant,  
 iidem etiam pro arbitrio suo dimittebant; sicut  
 etiam ille, qui iudicium exercebat, ut primo de Oratore  
 L. Crassus; A dolescentulus (inquit) sic initio accusa-  
 tionis examinatus sum, ut hoc summum beneficium Q.  
 Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit,  
 simul ac me fractum ac debilitatum metu uiderit. Consu-  
 les igitur, si aderant, uel Praetores, qui absentibus con-  
 sultibus more maiorum consulare imperium obtinebant, cū  
 senatum dimittere uellent (ut Iulius Capitolinus auctor  
 est) ita praefari solebant; Nihil tam uos moramur Pa-  
 tres conscripti. quibus uerbis adeundi quo uellent, sena-  
 toribus facultatem dabant, atq; ita senatus missus uel di-  
 missus dicebatur, ut ad Quintum fratrem Cicero; sed  
 fecit humaniter Licinius, quod ad me missus senatu uespe-  
 ri uenit, & primo Epistolarum; Hac controuersia usq;  
 ad noctem ducta, senatus est dimissus. hic uero discessus  
 senatus uocabatur, ut Cicero. Tum in ipsum discessum  
 senatus incidisse credo meas literas. Sed iam tempus est,  
 ut etiam

ut etiam nos senatum illum ueterem missum faciamus. quãdoquidem eum satis diu tenuerimus, & multa de illo uerba fecerimus. Nihil igitur iam uos moramur ó Romani Patres. ite quo uos uestra uirtus ac fortuna deduxit. nam longe felicioribus auspicijs hoc tempore, multoq; priori fide, religione, sanctitate, senatus hic noster Mediolanensis iusticiam exercet. æquitatem tuetur, in commune bonum consulit; ita bonitate sua clementiam temperat, ut debita seueritatis non obliuiscatur. ita prudenter ac sapienter Remp. administrabat, ut omnibus summis, medijs, infimis sint omnia grata, quæ facit. Non igitur mirum si huius ordinis grauitas, constantia, fides, præstantia, in Rep. tuenda cura, atq; prudentia omnium mortalium fama celebrantur. nihil est enim tam arduum atq; difficile, quod nõ hic ordo uere sanctissimus atq; optimus & consilio regat, & integritate tueatur, & uirtute conficiat. Quod ut huic patriæ nostræ ac ciuitati Mediolanensi proprium atq; perpetuum sit, communis salutis, dignitatis, honoris, utilitatis causa Deum immortalem animo demisso atq; humili rogamus, & obsecramus.

F I N I S.

Jan. Nicolai

## T A B V L A .

De Origine Senatus Romani.	Cap. I. fo. 1.
De Nomine Senatus.	Cap. II. fo. 9.
De Numero Senatorum.	Cap. III. fo. 16.
De Aetate Senatoria.	Cap. IIII. fo. 19.
De Habitu atq; uestitu Senatorum.	Cap. V. fo. 27.
De Filijs Senatorum.	Cap. VI. fo. 37.
De Senatorum Censu.	Cap. VII. fo. 40.
De Pedarijs Senatoribus.	Cap. VIII. fo. 44.
De Dignitate Senatoria.	Cap. IX. fo. 47.
De Gentilitate Senatorum.	Cap. X. fo. 54.
De Potestate atq; auctoritate Senatus.	Ca. XI. fo. 57.
De Principe Senatus.	Cap. XII. fo. 62.
De Officio Senatus.	Cap. XIII. fo. 59.
De Ratione Legendi Senatus.	Cap. XIII. fo. 61.
De Habendo, uel cogendo Senatu.	Ca. XV. fo. 64.
De Loco Habendi Senatus.	Cap. XVI. fo. 77.
De Tempore Habendi Senatus.	Ca. XVII. fo. 73.
De Rogandis sententijs.	Cap. XVIII. fo. 79.
De Sententia diuidenda.	Cap. XIX. fo. 83.
De Senatusconsultis.	Cap. XX. fo. 86.
De Iudicijs.	Cap. XXI. fo. 93.
De Nota cęsoria cōtra Senatores.	Ca. XXII. fo. 96.

De



*T A B U L A.*

*De Senatu Malebr̃. Cap. XXIII. fo. 98.  
De Senatu dimittendo. Cap. XXIII. fo. 101.*

*SERIES CARTARVM.*

*A B C D E F G H I K L M N O.*

*Duerr̃ omnes.*

